EMANUEL. SWEDENBORGII
SACRÆ REGIÆ MAJ. SVECICÆ COLLEGII
METALLICI ASSESSORIS

PRODROMUS PHILOSOPHIÆ RATIOCINANTIS DE INFINITO, ET CAUSA FINALI CREATIONIS

DEQUE

MECHANISMO OPERATIONIS ANIMÆ ET CORPORIS.





DRESDÆ ET *LIPSIÆ*,
SUMPTIBUS FRIDERICI HEKELII,
BIBLIOPOL. REGII M DCC XXXIV.

Quem propter merita veneramur, & in quo simul beneficia agnoscimus, præcipue si aliunde etiam accedat nexus, illum, mediante harmonia entium & modorum naturalium, summo amore complectimur. In Te, Reverendissime Episcope & dilectissime affinis! sapientiam dignitati Tuæ comparem, & Parentis Tui æmulam, Orbe literato idem consitente, veneror: In Te beneficia, quod animum meum in studia adolescentem & propensum, sed in quæ se verteret, in illa ætate, ut solet, ancipitem & nescium, ad hæc & similia, quæ secundi eventus auspicia fuere, flectere volueris, agnosco: accedit etiam mediante proximitate nexus. Ex triplici hoc fonte, scilicet ex veneratione meritorum, ex agnitione beneficiorum, ut & ex nexu, hoc est, ex ipsissimis suis causis propullulat sincerus amor, quem ut hoc testatum faciam, velim ut permittas

 Quum-

Quumque auctor fueris, ut his & similibus animum applicuerim, prolem hanc qualemcunque ingenii mei, ex aliqua parte agnoscas tanquam Tuam, & sic non alii quam Tibi dicandam; atque ei, si non propter se, tamen propter causam, si non ex meritis, tamen ex amore ut faveas, posco. Vive tot feliciter annos, quot Tui per amorem proximi optant; & consequenter quot exoptat

TUI

REVERENDISSIME EPISCOPE

Obsequentissimus cultor & affinis

EMAN. SWEDENBORG.

PRÆFATIO.

HIc vides Philoſophiam de Infinito & anima ratiocinantem, & verbis familiariſſimis & ſtylo humili utentem, hoc eſt, absque terminis a promptuario ſuo metaphyſico petitis quaſi loquentem; hocque ideo, ne aliquid incognitum aut in verbis ſublime animum de his ſimul cogitantem retardare aut a re aliunde flectere poſſet: quum de re ſublimi agitur, allaborandum eſt, ne verbulum ſit, quod remoram creet;

volui ideo, ut simplicissimam se offerat, & non aliam, quam cum familiariter loqui solent. Philosophia, si vere rationalis sit, nusquam contraria potest esse revelationi; scilicet si rationale in homine de anima ejus plus quam de corpore participet, sive si ratio non veniat ab instinctu aliquo crasse corporeo, & ad finem illius instinctus tendat, & per usum & exercitium formaverit animam ei perpetuo obsequentem & consentientem: ideo ratio vel intellectus est utriusque tam animæ quam corporis, ut scilicet anima per corpus & ejus organa instruatur,

atur, & instructa in illum ordinem & nexum omnia sciat disponere, & dein distincte evocare, ut rationale prodeat: finis rationis non alius esse potest, quam ut percipiat homo, quæ revelata sunt, & quæ creata sunt; sic rationale non potest contrarium esse divino, quum finis sit, cur ratio homini data est, ut percipere possit, Deum esse, & scire quod colendus sit: si ratio sit medium facultate & potentia pollens percipiendi, & finis ut percipiatur; medium quatenus sic rationale non repugnare potest fini: Ipsa mysteria, quæ supra rationem

 sunt,

ſunt, nec poſſunt rationi contraria eſſe, quamvis a ratione detegi, qualia ſint, nequeant. Sed de his in prodromo.

DE



CAP. I.

DE INFINITO ET CAUSA FINALI CREATIONIS.

UT faustum & felix sit, auspicandum est ab Infinito & Deo; sine quo nullis cœptis eventus secundus aspirare potest; ille est, qui omnibus principia sua largitur; e quo omnia finita ortum suum traxerant; & a quo trahimus animam, a quo vivimus; a quo sumus mortales, & pariter immortales; cui ideo omnia accepta debemus. Et quia anima nostra, ut ejus esse queat, ab illo creata est, & corpori addita; & utrique ratio: hinc cogitationes, sive se intus volvant, sive in voces exeant, sive per literas se figurent, eo semper dirigendæ sunt, ut ab ipso principium & finem petant: utque numen sic in primo & ultimo, sive in utroque fine & mediis præsens & favens sit.

Phi-

Qualis sit philosophia rationalis.

Philoſophia & ſapientia humana ſe Theologiæ comitem adjungere utplurimum amat; in percipiendis & perſcrutandis rebus divinis & captum ſuum excedentibus gloriam quaſi quæſit: ſæpe etiam ſe ſociam addit uſque ad oracula & myſteria; nec illorum reſponſa & ſortes indubie apprehendit & amplectitur, niſi rationem ſuam prius conſuluerit; & percipere ſategerit, quid credendum ſit. Animi philoſophantis nota & character eſt, ut rebus dubiæ, ignotæ & obſcuræ fidei aſſenſu indubio non faveat, niſi per cauſas & ſuum philoſophandi modum & analyſin ſimul perſvaderi videatur, & niſi ab illuſtri ſua comite Theologia ſecum ratiocinante evincatur: dico animi philoſophantis notam eſſe; nec ſe arceri patitur a ſacris quamvis revelatis; putat ſe in ſtatu naturali & ſummæ libertatis vivere, nec ullum ſe ſuperiorem agnoſcere debere, quam qui rationem evincere poſſit, cui tantummodo victas dare manus cogitur: de factis loquor non de jure. Et licet parum ſit in naturalibus, & minimum in divinis, quod percipiat, uſque tamen

mea se percipere posse & debere arbitratur: quodque non percipit, vel ut irresolubile statuit, vel prorsus negat, vel verbis ignotissimis involvit, ne alicujus ignorantiæ argui posse videatur. Tam ambitiosa est, ut philosophando ad ignotissimum pergere satagat, in quo terminum scientiæ non suæ tantum, sed etiam totius orbis philosophici ponit.

Dum mens philosophando naturam finitam, ejusque partes & totum rimatur & percurrit, non potest quin ad ignotissimum & prorsus irresolubile tandem perveniat, hoc est, ad Infinitum & ejus essentiam; quod quia non finitum est, ibi subsistit, & videt suum irresolubile & suum nodum, cui inhæret: dumque per mille scrutinia allaborat scire quid Infinitum sit, quid Deus infinitus, quid tale quod sine fine & termino concipiendum sit; quid illud, quod philosophia perpetuo ignoratura sit, quale sit: hinc mente volvit, & quærit, an hoc Infinitum sit idem ac divinum, an sit aliquid in natura quod Infinitum dici possit, an extra naturam, an per naturam indagari, quale

Quod Infinitum sit philosophiæ nodus.

le sit. Nam mens humana si non impedita & curis districta sit, altius semper ire amat; & quo difficilior nodus, eo libentius; nam negata & vetita cupit, & arcana scire avet, & in difficilioribus gloriam ponit: & dein, quo diutius ei inhæret, modo aliquid ad perfectionem accedens detegere posse sperat, eo cupidius & impensius: voluptas illa se nutrit & alit, & moram nectit animæ laboranti, & sic in partes illam demittit; & hoc tamdiu, dum invenerit, quod quæsierat, vel fatigata ut irresolubile prorsus relinquere coacta sit, quod sic tamen non sine dubio relinqui potest.

Quod generaliter nullus respectus sit Infiniti & finiti.

Sapientia humana quo altius se in inquisitionem essentiæ divinæ aut Infiniti, eo altius se quasi in labyrinthum immittit. Sit jam INFINITUM nodus ille, quem philosophus solvere gestit; quum eo usque pervenerit, ut incipiat inquirere, quale sit Infinitum, statim acuit mentem, & consulit omnem rationis sortem, & ex illis, quæ scientifice inhærent, colligit mille argumenta, sed quæ primum petit a finitis; nam ab aliis petere nequit, quum rationis oraculum

lum consulit; nec aliud novit mens ratiocinans, consequenter nec aliud producere potest; e rebus finitis enim informata & exculta est, perque sensus finitos; exque analysi rerum cognitarum quærit suum ignotum: nec alia ei cognita esse queunt, quia ipsa finita est. Ergo primo comparationem generaliter instituit inter finitum & Infinitum, sive inter vivens, intelligens & agens finitum, & inter vivens, intelligens & agens infinitum: quum philosophia rationalis tandem ei respondet, quod nulla comparatio nec ullus respectus dari possit inter finitum & Infinitum; quod si respective & rationaliter velit inquirere in essentiam Infiniti per essentiam finiti, quod necessum sit, ut Infinitum nullum appareat in respectu ad finitum, vel quod finitum tanquam nullum in respectu ad Infinitum: nam Infinitum minimum fit rationaliter tanquam nihil in respectu ad finitum maximum vel minimum, si ita loqui liceat; pariter finitum maximum vel minimum fit tanquam nihil in respectu ad infinite maximum; unde si unum ponitur, perit respective alterum. Cum

Quod specialiter qua extensionem & spatium nec ullus sit respectus Infiniti & finiti.

Cum hoc responso nec adhuc acquiescit mens humana, nam in inquirendis rebus ad partes & partes descendit, & distincte vult solvere suum nodum, omnem sinum & angulum ejus prius perscrutando: adhuc enim non plane dubitat, nec negat aut rejicit, nec tamen affirmat, spem enim solvendi adhuc fovet, usque dum nihil intentatum reliquerit; ergo jam in partes inquirendo abit, ut distinctius possit videre, num hoc primo intuitu apparens irresolubile alicubi sive aliquo modo enodari possit: statim tunc ad magnitudinem, spatium, extensum, formale, sive ad quantitatem & qualitatem, vel ad aliquid simile geometricum demittit animum: quumque novit, dari infinitum in minimis & infinitum in maximis, consequenter comparat substantias, quantitates aut qualitates finiti cum Infinito: & primum fortassis arbitratur, quia maxime naturale est, quod Deus sit minimum aut simplex in quantitate, & spatio, & pariter quod sit maximum; sed quum altius pergit ratiocinando, inducit, si sit minimus, quod non possit esse infinitus; nam

mini-

minimum quantitatis aut qualitatis retinet uſque aliquid de finito; unde non poteſt eſſe infinitus; ſicque altius ſe immittit in nodum aut labyrinthum, unde ægrius adhuc exire poteſt: quærit enim, quid minimum & ſimul infinitum? quid infinite parvum aut infinite minimum? hoc quia dari nequit, nec ibi exitum videt; nam quantitas infinite parva non datur; nam ſive erit quantitas finite minima, ſive erit ſimplex quoddam, ſive infinitum ſine adjectione quantitatis, magnitudinis, ſpatii, extenſi, formæ, qualitatis, ſive parvi: accedit, quum nulla ratio dari poſſit infiniti & finiti, quod ſic eadem ratio ſit infiniti & finiti minimi, quæ infiniti & finiti maximi; nam differentia inter duo finita ſeu inter maximum & minimum naturale eſt etiam finita, ergo illa nihil reſpective facit ad infinitum, quin uſque nulla prorſus ratio exiſtat. Sic iterum hæret, & quidem nodo aut labyrintho ſuo altius immerſus.

Quum itaque Infinitum non ſit minimum ſubſtantiale, minimum extenſum, *Quæ motum & celeritatem.*

B

ſum, minimum quantum, vel minimum formale, hoc eſt, minimum geometricum, pergit ulterius & pervolvit cogitatque, an ſit minimum & purum actuale; ſit minimum & ſimul maximum in motu, in celeritate, in vi motrice, hoc eſt, num ſit minimum & ſimul maximum mechanicum: novit enim nullum finitum exiſtere poſſe ſine cauſa; nihil ex cauſa contingere poſſe ſine modo; nihil modificari ſine mutatione aut variatione limitum, partium vel totius; nihil ſic qua limites, partes vel totum variari ſine motu; & nihil moveri ſine ſubſtantia; & nullam ſubſtantiam moveri ſine graduum & momentorum reſpectu, ex quibus reſultat ſucceſſivum in celeritate, ſive quod idem eſt, in tempore, & conſequenter vires motrices in mechanicis: ergo quum motus aut modus ſupponat finitum & ſubſtantiale; ſive quum omne mechanicum ſupponat immediate quoddam geometricum; & quum Infinitum non poſſit modificari, concludit, infinitum nec eſſe poſſe in minimis maximum mechanicum, & eo minus, quum non ſit minimum geo-

geometricum, quum illud causatum & effectus sit, in hoc vero causa & efficiens.

Sed tamen adhuc hæret in ambiguo; utque indagare possit essentiam sui Infiniti & numinis, a geometricis & mechanicis analytice progreditur ad aliquid simile geometrico aut mechanico, ad aliquid purum, ad tale, quod non finitum est, quod indivisibile, non extensum, non partibus constans, & sic non formale, nec modificatum, hoc est, ad pure simplex; in quo aliquid primitivum, causans & agens quasi agnoscit, antequam finita inde possint existere, & existentia subsistere: nam extensa oriri & subsistere debent tandem a non extensis; magnitudine, dimensione, spatio & forma gaudentia ab iis quæ magnitudine, dimensione, spatio & forma carent; limitata a non limitatis, geometrica a suis punctis; verbo omnia composita a simplicioribus, simpliciora a pure simplicibus. Sed si pure simplex sit primitivum; a quo existere potuissent successive composita, tanquam illimitata a non limitatis, *Num sit purum & simplex?*

tatis, extenſa a non extenſis, geometrica a ſuis punctis, prout numeri a ſimpliciter unis, non ſine modo vel modi analogo potuerant exiſtere; nec ſine reſpectu alicujus limitis in ſimplici, quamvis tantum unicus ſit, quod ſic non finitum eſt; nam finitum ad minimum duobus terminis aut gemino fine conſtabit, quod ex multiplicatione ſimplicium per modum ſimplicem aut modi analogon oriri debeat; hinc nec ſic videt ſe Infiniti eſſentiam indagaviſſe, quia illud omnis partis, termini & modi expers eſt; cui nec tale ineſt, quod geometrico aut mechanico ſimile audire poſſit.

Num ſit æternum? Sed quum heic videt animum ſuum in nodo irreſolubili adhuc hærentem, vertit illum in alias partes, cogitando, num Deus infinitus ſit, vel num detur infinitum qua tempus, ſive quod idem eſt, num æternum? Generaliter concludit, nihil eſſe, quod non ortum traxerit: quum aliquid ſit, quod exiſtit, principium & origo erit, quando exiſtere inceperit; ſine origine nullum ens aut actuale dari poteſt: ut ſi non intra

intra myriades annorum, usque tamen intra myriadum myriades; vel si non hoc, multiplicat usque & continuo innumeras myriades per innumeras alias, tamen usque in ortum putat se incidere; ergo tempus fuisse autumat, quum ortum traxerit, ut sic non potuerit æternus esse: sed quia audit æternus, & æternitas est tempus sine fine, sive est in respectu ad tempus etiam tale infinitum; nam tempus est tantum respectivum quid ad modos ex finitis & substantialibus prodeuntes, est simile celeritati in motu, nempe ejus successivum, & denotat modo ejus gradus & momenta, sicque simile & fere idem cum celeritate, & consequenter mechanicum, & sic simile geometrico; nam ubi non datur substantia, nec datur celeritas, ubi non celeritas, nec tempus: his perpensis anceps hæret, num æternum detur, num aliquid ab æterno, quod aliquando ortum non traxerit, quamvis hoc fuisset ante tot myriadum series in se multiplicatas: ergo in eundem nodum incidit, & in irresolubili eodem & primo hærere videtur: præsertim quum quantitas, spatium

tium, motus, tempus & omnia conſpirent & conſentiant naturaliter & rationaliter in eo, quod non detur infinitum, neque in hoc neque in illo.

Si philoſophus obnixus ſit, antequam nodum ſuum rumpit vel rejicit, per omnem philoſophiam rationalem tam in genere quam in ſpecie pervagatur, & jam diffundit, jam concentrat animum, & dividit & dividit, & multiplicat per gradus & potentias, itque altius & altius; & quamvis calculando verſus indefinitum pergere poſſe videatur, uſque tamen ad nullum infinitum ſe pervenire poſſe videt; nec ad tale, quod ei ſimile & quod ſine fine ſit. Tandem quum tot vel toties irreſolubilia videt, quæ omnia conſpirant in unum & idem irreſolubile, & in id, quod ſecundum omnem ſuam rationem non dari poſſit infinitum, quia ſecundum analyſin rationalem, naturalem & geometricam non datur; hinc tacite concludit, eſſentiam divinam fortaſſis non eſſe infinitam, ſed indefinitam, & in omnibus minimum & maximum: & quia in his videt

det etiam naturale quid & geometricum, ſive ſimile minimo in quantitate, ſpatio & tempore, divinat eſſe illud primum naturæ; & conſequenter naturam & Deum eſſe quaſi unum & idem: ſic fieri ſubinde poteſt philoſophus per imperfectas ſuas indagines & analyſes, ad tempus naturæ non Dei cultor.

§ II.

Hactenus expoſitum eſt, quomodo mens humana de Deo & infinito philoſophans, tandem in illam partem inclinet, quod non videat, quomodo infinitum dari poſſit, aut aliquid æternum; quomodo aliquid plane ſine extenſione, ſpatio, materia; ſine attributis aut eſſentialibus, quæ non aliquid ſimile trahant a geometricis, mechanicis, finitis; vel ab aliqua re, quæ uſquam imaginatione percipi poſſit. Sed velim communem cauſam agere, in eo, quod ex nulla comparatione cum finitis & perceptibilibus, ſive ex nulla ſimilitudine cum illis, ſive per nullam vim aut facultatem animæ & intellectus, penetrare poſſimus in aliquid, quod in Deo ſeu in ejus infinita- *Aſſumuntur argumenta & affirmantur.*

te eſt: velim etiam adhuc plus dare, quod nec angeli, ſi credis angelos eſſe, ſed antequam credis, pone eſſe, & pone ſimiles animæ tuæ, vel pone non ſimiles, ſed animis ſenſibiliores, perfectiores, puriores & ſapientiores; dico, quod tamen nec illi penetrare poſſint in eſſentiam infinitatis in Deo: velim etiam addere, quod ex ſimili ratiocinatione neceſſum ſit, ut in dubitationem incidamus de Infinito: nam quod non poſſumus percipere per aliquid ſimile illis, quæ novimus, ſed quum ſit in reſpectu ad omne id tanquam nihil, conſequenter perit omnis reſpectus infiniti per finitum.

Num ratiocinandum ſit de infinitate? Sed fortaſſis cauſam objiciendi te habere putas, quod neutiquam philoſophiæ conceſſum ſit de eſſentia Dei ejuſque infinitate ratiocinari, quum hoc fruſtra ſit & recta in errores ducat, ſed quod debeamus illud ut ſacrum, revelatum & ſic indubium ſtatim fide comprehendere & complecti; nam quicquid per literas ſacras confirmatum eſt, non opus eſt ut a ratione, aque philoſophia rationali, & a geometria

metria confirmetur; ſatis rationaliter, philoſophice & geometrice confirmatum eſt, quodcunque ab ipſo infinito confirmatum eſt: fateor hoc omni jure eligendum eſſe, & rationem a ſacris & myſteriis arcendam; illosque omnium feliciſſimos eſſe, quibus hoc per gratiam conceſſum ſit: ſed inficias ire nequis, quin in orbe philoſophico perplurimi ſint, qui ſui juris in eo non ſunt, qui ſcilicet in cogitationem profundam de eſſentia divina incidant; humanum enim eſt, ſi mens incipiat ratiocinari, quod non poſſit, quin altius & altius eat; voluptas ab exercitio non modo ſe intendit & auget, ſed agit, ut ei inhæreat anima, & ad ſpecialiora ſucceſſive ſe demittat, & conſequenter quod non liberum ſit animæ ratiocinanti ſibi in his frænum quaſi injicere: extra omnem dubitationis aleam eſt, quod menti humanæ innata quaſi cupido ſit de ignotis philoſophandi, & eo major, quum de Deo, de anima & ſalute agitur, & quibus cogitatio & mens perpetuo inhærere juſſa eſt; ſed modum imponere, quod ſic, non aliter cogitare debeat, non

cuivis datum eſt; ergo, quod hoc naturale & humanum ſit, ſequitur: quia jam humanum eſt, ut mens, dum cogitat, philoſophice cogitare velit, non poſſumus quin dicamus, video quod ita ſit, quamvis non ita eſſe debeat; video quod in his non philoſophandum ſit, ſed tamen quod philoſophice ratiocinentur; licet nequeant concipere, quod tamen uſque velint concipere; & quin fide comprehendatur, quod ipſum ratiocinium impediat; quod ſine peculiari Dei gratia, nequicquam ſecura, certa & indubia confeſſio infinitatis a ratione in libertatem miſſa ſperari poſſit; ſed error non a ratione venit, ſed a modo ratiocinandi, quem inſtituit comparative cum finitis.

§ III.

Sed opus & labor eſt, ut errantem evincere poſſimus; ſi enim aliquem ſic philoſophice loquentem audimus, non poſſumus acquieſcere & ad dicta & argumenta ejus obmuteſcere; debemus cum illo ſermonem ſociare, & argumenta ejus aſſumere, perque rationem evincere, ſine auxilio rationis ſuc-

ceſſus

cessus frustra speratur; ergo utendum est ratione, nec solummodo precibus, ut sententiæ suæ non faveat: allaborandum est, ut hoc fiat mediate, per verba, per argumenta, ipsamque ejus philosophiam; si illum sine usu mediorum linquamus, dubii omnino hærebimus, an contrariam & meliorem sententiam concipere queat, vel num aliter alio tempore argumentaturus sit; officium requirit, ut rationes rationibus discutiamus, præcipue in rebus & puncto fidei, quæ mentem humanam tam valide afficiunt, ut, quum semel a ratione sua evictus sit homo, nihil sit, nec quidem exstinctio delitiarum humanarum aut mors, quod abinde illum flectere possit: ita animus sibi favet. Ad evincendam rationem omnino ratione utendum est, & permanendum jugiter in ipso argumentationum & inductionum tenore & serie; si aliunde causas & rationes peteremus, potuisset inde a via flecti animus, & a scopo alienum quid concludi, permanente in suis erroribus mente. Et quia de Deo, anima, salute, & felicitate post vitam agitur, operæ pretium est, ut omnem vim & ner-

Quod ratione utendum sit.

nervum rationis intendamus. Sed ufque tamen prævidere licet, fi permaneremus in eadem ferie argumentationum, animo rimandi effentiam Dei infinitam, & exinde deducendi, quod Deus fit infinitus, five num Infinitum fit origo & caufa naturæ, quod philofophantem argumentis fupra allatis & fuis nequicquam evinceremus, & fortaffis quod ipfi in eundem labyrinthum laberemur, unde exitum inveniri major adhuc labor requireretur.

Quod quæftio an? debeat præcedere.

Ipfiffima heic quæftio eft, num Infinitum detur, vel num talis Deus, qui infinitus fit? Hoc quæritur, hocque ideo per rationem ventilandum & demonftrandum venit, adhuc nequaquam, qualis fit effentia divina, num infinita vel non infinita fit? ipfiffima quæftio eft, AN fit? non, QUALIS fit? quæftio AN hic omnino præcedet, fequetur dein QUALE; nam fi velimus inquirere, QUALE infinitum fit, fciemus primum an fit; fi qualis natura, fciemus primum an fit; fi defideremus noffe, quales angeli, anima & homo fit, præcedet omnino quæftio an; quamvis

vis ſi in notitiam QUALIS pervenire-mus, nullus foret dubitandi locus de AN; quocunque modo philoſophice vel geometrice explorare incognitum ſatagimus, ſciendum eſt an ſubjectum ſit, ſive an in ignoto QUALE aliquid lateat; quum primum ſcire contigerit quod detur, tandem eſt locus inqui-rendi, quale ſit: maneamus itaque in ipſiſſima ſerie rationum, & quæramus nude & ſine argumentis a natura peti-tis, ſive de eſſentia & qualitate, NUM SIT.

Aſſumamus in hunc finem ipſiſſi-mam ejus concluſionem, quod natu-raliter Infinitum non detur; quod il-lud, quod primum aut minimum eſt, ſit aliquid naturale, ſeu aliquid natura-li ſimile, quia Infinitum eſt tanquam nihil in ratione: ponatur jam primum vel minimum aliquid naturale vel ei ſimile, quæritur, UNDE aut EX QUA CAUSA exiſtere potuiſſet tale mini-mum aut primum? hoc e novo mo-vet rationem, ut ſcire poſſit cauſam ejus: ſi cogitet, quod tale minimum vel primum ex ſe exſtitiſſet, aut ſui cauſa

Quæratur ex qua cauſa primum naturale poſſit exiſtere?

caufa fuiffet, fequitur ftatim aliquid, quod rationi ad amuffim repugnat: fi finitum fit, fi naturale, vel fimile finito aut naturali, habebit hoc, quod in eo finitum eft, vel quod naturale, vel fimile naturali, aliquam caufam aut ortum: fi finitum admittit aliquid fimile in fe, unde hoc fimile? unde in fe aliquid poteft admittere fine caufa? fic videt illico, mentem fuam e novo in fuo nodo laborare; & jam in dubium vocare, quod prius de natura prima origine ex rationibus fuis concluferat; nam vult omnino competenter refpondere, unde & ex qua caufa hoc potuit exiftere, aut fic exiftere; ratio clare dictitat, quod non poffit a fe, quia eft finitum vel fimile finito, finiri prius debuit vel fimile reddi finito; volvit illico, num ex fe poffit effe, affirmat, negat, dubitat, videt quod non poffit ex fe, fed quod caufa ejus aliqua fuerit: fi ex fe, non potuit cafu ex fe effe, quia videt, ubi nulla caufa adeft, nec ullus cafus adeft, ipfe cafus non agnofcit fimplicem fed multiplicem caufam; addit, fi ex cafu, quomodo potuit effe tale, ut omnia deinceps inde

inde provenientia tantæ harmoniæ sint, ut non modo elementa, mundi, tellures, sed super illas tam vasta & speciosa regna, ut vegetabile, animale &c. tam stupendo & simul tam delitioso ordine & tenore exstiterint: nihil tale casu potuit existere, nisi foret omne inde subsequens casui simile & sine ordine, ergo hic casus non quadrat. Si dicat non ex casu, sed ex similis simili exstitisse, remanet usque idem nodus & idem irresolubile; UNDE illud? si iterum dicat, quod ex se; sed unde quæso TALE finitum? Accedit, si finitum sit, quod esse debeat tempus, quando finitum sit, ergo tempus erit, & origo; si ex se vel casu, quare non prius, quum prius tam bene quam in illo tempore oriri potuisset: ergo nec sic videt naturam primitivam ex se potuisse existere; tandem concludit cum ratione, quia nihil finiti vel simile finito oriri potest sine causa, quod a causa exstitisset.

Si jam ex causa, causa non potest esse finita vel a finito; si finita vel a finito, illud etiam sui causam habebit, per

quam

Quod per quæstionem causæ agnoscere debeat Infinitum. quam finiri potuerat, concludit ergo iterum cum ratione, quod Infinitum sit causa finiti, quamvis non sciat quale sit Infinitum: sic quamvis nescit, quale sit Infinitum, tamen usque agnoscere illud debet ut causam; & consequenter suum primum & minimum naturale ut causatum. Sic per quæstionem UNDE venire potest ad confessionem Infiniti, non vero per quæstionem QUALE.

In quæstione causa de minimo naturæ. Redeamus adhuc ad rationes allatas, & maneamus in serie, & quæramus semper UNDE, & videbimus, quod ipsa mens & ratio nobis dictura sit, quod ex Infinito: ut si inquiras primum in quantitatem, in extensum aut spatium, in quibus agnoverat esse minimum; sique dividat & dividat hoc parvum in minus & minimum, tamen ad primum & infinite minimum nusquam perveniet, quamvis ad indefinitum se venire posse autumet; nam sine primo non potest existere mundus; ergo minimum hoc extensum vel quantum erit vel naturæ minimum vel simile minimo sive simplex: si ulterius

rius tendimus, nam ulterius eundum eſt, quum percipimus nihil ex ſe exiſtere poſſe, ſed ex cauſa, mente omnino a finito ire nitimur ad aliquid, quod vocari poſſit indefinitum, nec quieſcere poſſumus in indefinito & ibi ponere finem ſine cauſa, ſive cauſam primam; ſed terminabimus ideas in tali, quod nullum quantum, nullum extenſum, vel rationem quanti aut extenſi in ſe habeat, & in quo nulla ratio, nihil ſimile, hoc eſt, in quo nullum finitum ſit, quod idem eſt cum INFINITO. Si velimus a primitivo hoc vel ſimplici ad primum modum aut motum nos conferre, ille erit vel ſimplex vel purus, vel modo conatus aut ſtatus internus ad motum; ſed unde? poſito, quod ſtatus ſit vel conatus ad motum, ille nec poteſt a ſe oriri, ſed trahet omnino ortum ab alio; ſi a finito alio, quæritur, unde ejus motus, conatus aut ſtatus? quia in motu eſt finitum, in conatu aut in ſtatu interno ad motum eſt idem vel aliquid motui ſimile; ſic tandem etiam hac via ad Infinitum, ejusque confeſſionem pervenimus.

Quæstio unde Infinitum?

Quum itaque causa simplicis, jam confitente ratione & anima, non aliunde derivari possit, quam immediate ab Infinito; fortassis quærere instas, unde Infiniti causa? Sequitur responsum ab ipsa sua ratione, tanquam a Themide & cortina, quod Infinitum non aliunde causam agnoscere possit, quam in se, & quod sic in causa sui sit: quodlibet enim finitum a causa finiri debet: si indefinitum, in respectu ad finitum dicitur indefinitum; sed tamen quale habet, quod tale per causam aut ab aliquo reddi debet: quod vero infinitum est, non finiri seu finitum reddi potest; non ut tale sit, non ut hoc modo vel alio, ut hoc tempore vel alio, quia non finiendum aut finitum est, sed infinitum; unum Infinitum prius & posterius, majus vel minus dari nequit: ergo quum finiri nequeat, quia est infinitum, est in sua causa.

Quæstio quando Infinitum?

Quod etiam ortum concernit, scilicet si quæratur, quando Infinitum? idem sequitur responsum, quod, si infinitum est, etiam qua tempus sit Infinitum; si in uno infinitum, in altero non

non potest esse finitum; in tempore datur maximum & minimum, prout in spatio & extenso; datur successivum, gradus & momenta, prout in motu aut celeritate; nam finita non dici possunt finita, nisi etiam respectus sit temporis & successivi; de pure simplici quia non finito nec prædicari potest tempus aut successivum, sed qua ortum ejus ut instantaneum, nec usque tamen æternum, sed veluti ante tempus. Quumque Infinitum non causam in aliquo agnoscit, nec ortum in aliquo agnoscere potest, ortus enim involvit causam, quod temporis foret, quatenus per momenta finiti; & quia est causa sui, seu adæquatius in causa sui, hinc etiam in ortu sui est. Verbo, ubi nullum datur substantiale aut finitum, ibi nullus datur modus, motus aut celeritas; ubi nulla celeritas, ibi nulli gradus & momenta, & consequenter nullum tempus; Infinitum est ideo idem ac æternum, & quidem in omni tempore æternum; nam tempus est modo respectivum quid ad finita, unde nihil, quod præteritum, futurum & successivum est, prædicari

poteſt de Infinito, in quo omne eſt præſens & ſemper æternum, tam qua præterita quam qua futura.

Sic arbitror, quod mens humana agnoſcat Deum ut Infinitum, & cauſam finiti & conſequenter naturæ; quodque nec amplius acquieſcat in primo naturæ ente, putando, quod Deus & natura primitiva ſit unum & idem; ſive quod omnia debeantur naturæ, ſed quod unice debeantur Infinito, hoc eſt, Deo.

§ IV.

Quum ſic tandem pervenerimus ad confeſſionem Infiniti, adeo ut nolente volente ratione agnoſcendum ſit aliquid plane ignotum, nec per nota uſquam reſolubile, quod unice Infinitum vocari debet: cum hac confeſſione & tacita agnitione ulterius eamus, & videamus, annon adhuc diſtinctius poſſimus per rationem agnoſcere, quod Infinitum detur ſive quod Deus ſit infinitus, quod Deus ſit auctor & productor naturæ; huc uſque a priori deteximus, ignotum hoc exiſtere ſive Infinitum

nitum dari, velimus jam experiri, annon etiam agnoſcendum ſit a poſteriori.

Quale ſit primitivum naturæ?

Permaneamus ſemper in eodem primo & minimo naturali, ne a circulis & ſphæris ſuis turbemus naturæ cultores, ſed ut illos ſemper attentos teneamus ſuis principiis, ne peregrinum quid interveniat, quod mentem illorum a concluſione avertat: ponatur jam minimum tale naturale ortum ſuum duxiſſe ab Infinito, nam aliunde ortum ducere non potuiſſe modo viſum eſt; quæritur jam, quale ſit illud minimum naturale, vel illud primum? num ſit ſemen primum naturæ, num ei inſit naturale quoddam, quale in natura, vel num ſit tantummodo analogon aut ſimile ſubſtantiis, eſſentialibus, attributis, modis &c. quæ obſervamus in ipſa natura? Reſpondere velim principiis illorum convenienter & conformiter, quod in illo ſit omne primitivum, quicquid in natura eſt, omne ſimplex, quod conſequenter ſit quaſi ſemen rerum omnium naturalium, ſit principium illarum, ſit e quo per mo-

menta & gradus, natura dein ſe explicuerit; verbo quod ſit in illo omne id, quod uſque cogitare poſſimus dari in natura, tanquam primitivum; & quod ſic natura in primo illo vel in numero indefinito primorum aut minimorum illorum ſit in ſuo ſemine, e quo vel e quibus dein tam diverſa, multiplex, tot ſeriebus diſtincta & abundans, tanta, in cœlis, in mundis, in telluribus, in regnis cujuſcunque telluris, elementari, minerali, vegetabili, in partibus cujuſcunque regni, illarumque partibus, hoc eſt, quicquid de natura minima & maxima prædicari poſſit, prodierint. Sed quale jam ipſum ſimplex fuiſſe videtur, de hoc aliquantum eſt actum in Principiis de Elementis.

Sit ergo jam ſecundum mentem illorum, qui ſtatuunt omnia naturali ordine a primo illo ente, ſimplici, ſemine, minimo ſeu primitivo fluxiſſe, volo itaque, ne turbem animam jam Infinitum & Deum agnoſcentem, non aliquid Deo immediate tribuere, quod ipſi putant vel putare poſſunt ſecundum ſuam rationem tribui debere naturæ,

turæ, velim idcirco concedere, ut eo similior & unanimior in rationibus nostris consensus & concordia sit, velim in illorum partem ire, nihil nocet, quia jam agnoscunt naturam non ut primam mundi causam, sed ut secundam, & quod non sit secunda causa agens per se, nisi quatenus hoc acceperit & perpetuo accipiat a prima, hoc est, ab Infinito; agnoscunt jam, naturam esse ab Infinito sive Deo productam, agnoscunt enim illam ut causatum, & Infinitum ut causam: videamus jam, annon inde adhuc melius agnoscatur Infinitum, scilicet si concesserim illa, & numne inde necessario sequatur, & adhuc distinctius elucescat, naturam sui causam non esse posse, sed Infinitum.

Ponatur itaque, e primitivis illis minimis naturalibus derivata esse omnia illa, quæcunque tam in mundo aspectabili quam in non aspectabili sint; ponatur etiam, hæc per necessitatem quandam naturalem, mechanicam, geometricam, physicam, vel per quamcunque aliam velis, omnia successive ex his primitivis fluxisse; quid ergo inde

Ponatur quod a primitivo illo omnia naturaliter prodiissent.

inde aliud ſequitur, quam quod in his primitivis latuerit tale quid, ut per neceſſitatem naturalem omnia ſic produci potuiſſent, ei inhæſiſſe omnia vel per analogon vel per cauſas, in quibus ſimile exiſteret tam qua attributa, quam qua eſſentiam & qua modos, quotcunque & qualeſcunque philoſophice aut rationaliter concipi queant, ſequitur tamen inde, potentiam, aptitudinem & facultatem in illis latuiſſe producendi omnia, qualia dein producta ſint: nolim principia illorum negare; nam non poſſum tam multa in his formare, quæ non concedere vellem; nam quo plus conceſſerim, eo certius agnoſces concluſionem.

Jam repetamus primum terminum, ſcilicet quod Infinitum ſit cauſa primi aut minimi finiti, in his jamdum convenimus; dein jamdum conceſſeram, quod a primo hoc minimo per naturalem ordinem perque neceſſitates quaſcunque velis omnis mundus cum ſeriebus, appendicibus & partibus ſuis exſtiterit, quid inde ſequitur aliud, quam quod in primitivis his ſive minimis

nimis latuerit qualitas illa producendi? neutiquam enim aliquid produci potest ex semine, nisi in illo sit aptitudo & qualitas illud producendi vel se explicandi; & quamvis illa qualitas etiam videatur esse in sequentibus aut derivativis, usque tamen suam qualitatem accipere necessum est ab illo primo; adeo ut sic latuisse sequatur in hoc primo causa & qualitas & omne primitivum: ergo ponamus jam, ibi latuisse omne illud, qualecunque naturaliter fingere & imaginari cupis; quæritur ideo jam, UNDE hoc in ente primitivo? non negas amplius, quin illud etiam ortum suum duxerit ab Infinito, & talem ortum, quale est; ergo omne illud, quodcunque putare potes latuisse in primo tanquam primitivum, ortum traxisse sequitur ab Infinito, a Deo qui unice infinitus est.

Quod in primitivis latuerit qualitas producendi sequentia.

Velim hoc aliquantum per similia illustrare; vides hominem tot membris, tot sensibus, tanta ratiocinationis facultate gaudere, vides intus tot partibus; si partem sumis, ut cerebrum, tot suis partibus, tunicis, substantiis,

Quod omnia naturalia admiremur in sua causa.

nervis, medullis, appendicibus aliis & liquidis; ipſum reliquum corpus pariter; ſi ejus partes luſtras, vides illas ſingillatim tot arteriis, fibris, tendinibus, tunicis, & tanta aptitudine mechanica ad quemcunque ſuum motum pollere: ſi velis unamquamque hanc partem ſumere, viſurus es in quovis nervo tot membranas, tot ramos, & infinita alia; ſi horum aliquam partem, tot vaſa diverſi generis; ſi horum partes, pariter; ſique oculum vitris armare velis, ah! quantum non amplius detegeres! omnia tamen hæc ex uno ſemine, ex uno quaſi primitivo oriunda ſunt: ſi itaque jam animum vertis in corpus humanum & partes partiumque partes ejus, & pariter vertis in primum ejus ens ſive ovulum, & utrumque mente volvis, miraberis tunc magis ovulum aut minimum ſive primitivum ejus naturale, quam ipſum corpus; major cauſa admirationis exſtinguit minorem; quodcunque miraris in magnis, miraris adhuc magis, quod ita exiſtere potuiſſet in minimo; admirationem & ſtuporem ſic figis in illo minimo, quod tale eſſe potuiſſet, ut produceret totum

totum hoc & tale systema: quum dixero, in hoc esse causam totius, hæres in admiratione causæ; si dixerim, hanc suam causam habere, multiplicat se admiratio in illa causa; si dixero, hoc in primo illo minimo fuisse, nec tantummodo hoc, sed etiam indefinite talia & alia, augebitur stupor fere infinite, quomodo tale in primitivo existere, aut quomodo simile tali, ut inde totum tale, non aliter existere potuisset, sic venimus ad conclusionem, quum dixero, causam primam minimi talis esse in Infinito; sic, si capax foret, infinite abriperetur mens in stuporem, quod tale quid in primo illo minimo exstitisset, ut tale maximum produci potuisset. Si ad plura individua naturæ ire simul vellemus, quorum indefinitus numerus est in mundo aspectabili, idem lustraremus, & ex quolibet individuo eandem conclusionem formaremus, quod scilicet in primo illo maxime miraturi simus Infinitum, & quod illud, quod aspectabile est, nos in admirationem sui primum traheret, quia ludit in sensus, & dein magis in admirationem suæ originis aut causæ, non quatenus

tenus causa, sed quatenus in eadem causa sit potentia modificationis omnium; & tandem in stuporem qualitatis in primo; & quia admiratio ibi nequicquam potest terminari, terminabitur omnino in ipsamet causa prima, hoc est, in Infinito, in quo latet omne quod admiramur; in quo admiramur unice Infinitum, non vero ipsum naturale in se, sed in sua causa. In organis mechanicis, ut in horologiis artificiosissimis admiramur motum, rotas & potentias applicatas, at non miramur illa, quum rotæ, potentiæ & mechanismus sint nobis nota, sed tacite quod miramur est prima causa, non prima causa, quatenus est organicum quid, quia simplicissimum esse potest; sed inventorem; non inventorem quatenus composuit, sed quatenus invenit, hoc est, prævidit, hoc ita fluere ab alio, sive sic compositum hunc, non illum effectum producere debere.

Num omnis natura fuerit in his minimis? Jam velim etiam concedere, quod omnia naturali ordine a primis his minimis ad maxima per series, per causas, per causarum necessitates, per motus

tus multipliciter derivatos, illorumque vires fluxiſſe, ſequitur tamen, ut tale poſſit ita, non aliter fluere, quod latuerit in primo aut minimo, & quod minimum tale factum ſit a ſua cauſa, hoc eſt, ab Infinito: quo itaque plus in his diffundis animum, quo plus miraris in natura, quo plures cauſas cumulas, & plures vires motrices multiplicas, dividis & cenſes, eo plus miraberis primum & minimum, eo plus miraris Infinitum ejus cauſam, ſtupor non poteſt deſinere in cauſato, ſed in cauſa, nec in cauſa quatenus cauſa, ſed quatenus infinite intelligens cauſa; qui ſe augeat neceſſum eſt, qualis ſit cauſa, hoc eſt infinite.

Quo major naturæ cultor, eo exiſtere potes major numinis cultor.

Demum concluditur, quo plus de natura ſentis, illi tribuis, illam colis, quoque plus illam rimaris & miraris, & quo plures cauſas rerum mechanicas, geometricas, & naturales neceſſarias facis, eo plus miraberis Infinitum & cauſam omnium: quo enim major naturæ adorator & cultor es, eo magis ad cauſas & primitiva ejus regrederis, & eo magis ad ſimpliciora venis, & eo magis

magis agnoſcis ex primitivo naturali reliqua ſucceſſive ortum traxiſſe; & eo magis mirari adduceris ſtatum primitivi hujus naturalis, quod in illo omnia quæ vides, & quæ uſquam imaginaris, imo quod ipſæ cauſæ non modo mechanicæ ſed etiam phyſicæ latere potuiſſent; ergo velim ut omnem admirationem concentres in ipſo primo aut minimo tuo; annon ſic omnis admiratio deſinet in ejus cauſa? hoc eſt, in ipſo Infinito, quod tale minimum produxerit. Ergo, quo magis colis naturam & credis illam originem rerum naturalium eſſe, eo major evadere potes numinis cultor, quia ex ſucceſſione rerum, modorum, cauſarum, contingentium perfectiſſima plus potes mirari in primitivis, quam alii in omnibus ſuis derivativis.

Ex perfectione primitivi. In primitivo ſeu minimo philoſophico aut ſimplici etiam potes aliquatenus contemplari infinitatem quandam, & quidem ex perfectione; quod ſi tam perfectum fuerit, ut per tot cauſas, neceſſitates, vires motrices, & per omnia exiſtentes ſeries productum ſit univer-

universum, in quo nulla detur pars nisi perfectissime conspirans ab uno fine ad alterum per mediorum tenorem; anne per hoc contemplari possis infinitatem, sive tale quod rationaliter aut finite non concipere potes, quod tamen tanquam præsens in primo illo fuisset; sive tale perfectissimum, quod aliunde quam unice ab Infinito prodire potest: ergo sic etiam agnosces Infinitum.

§ V.

Antequam Mundus perfectus & tam aspectabilis factus est, adesse debuerant innumera contingentia & contingentium contingentia, innumeri modi & modificationes, sive antequam omnes series tam harmonice ad ipsissimum finem pervenissent: posito, quod omnia a primis illis minimis per necessitatem mechanicam & physicam ad compositionem rerum tam unanimiter fluxissent, quod tamen statuere adhuc nolo, antequam argumentis & rationibus evictum sit, sed ponatur tamen, quod ita sit, sequitur inde, quod natura non possit causari contingentia, & dare causis causas, ut omnia ita mire ad unum finem *An contingentia fuerint in primitivo?*

finem conſpirarent & concomitarentur, niſi adeſſet in primo ejus ente ipſiſſima illa cauſa, quæ derivata in entia ſucceſſive compoſita per continuum tenorem mundum ſic, non aliter perficerent: ſi itaque hæc etiam fuisſent in primo illo ente, ſequitur omnino, quod non alia quam infinita ſapientia eſſe potuerit, ex qua non aliud immediate quam perfectiſſimum prodiret; ſequitur etiam, quod in primo illo ſic omnia fuerint præſentia & quaſi actu inexiſtentia, quæ reſpectu temporis futura eſſent; ſequitur etiam, quod indefinita perfectio conſideranda ſit, & quod inde eo melius eluceſcat Infiniti exiſtentia: nec tamen ita a veritate abludere hoc videtur, quantum fortaſſis prima & levi conſideratione apparenter videatur; nam a nullo negatur, quin omnia Deo in prima creatione præſentia fuerint, pariter quin omnia præviderit, & quin ſtatim etiam in omnibus providerit; & conſequenter ſic omnia formaverit, ut ad ipſiſſimum finem quaſi ſponte fluerent: nam non potuit quam perfectiſſimum eſſe, quod immediate produceret; & conſequen-

ſequenter primo nihil ineſſe potuiſſet, quod non perfectiſſimum eſſet, quia ab infinito nihil imperfecti exire poteſt; ſi itaque perfectiſſimum, quo perfectius dari nequit, ſequitur, quod omnia ineſſe debuiſſent potentia, quæ uſque actu inde exiſterent, unde etiam inducendum venit, quod quoque cauſæ inexſtitiſſent tam mechanicæ quam phyſicæ mundum ſucceſſive perfecturæ. Ex his tamen neutiquam ſequitur fatalis omnium ſeries; nec quod Deus ſit in cauſa imperfecti alicujus, quod in mundo & in homine ratione mali exiſtere cœperat; tale omnino agnoſcere debet cauſam in finito, non in Infinito: nam ſi primitivum immediate ab Infinito ortum fuerit perfectisſimum, & reliqua ordine exiſtentia minus & minus perfecta, ſignum evidens eſt, quod hæc ortum ſuum ſuccesſive & immediate traxerint a finitis, a quibus ſuccesſive imperfectiora exiſtere poſſunt; ſignum etiam eſt, quod in reliquorum prout imperfectiorum ortu fuerit aliquid magis & magis naturale, ſeu tantummodo mediate aut mediante natura divinum;

vinum; adeo ut natura aut finitum ſit omnis imperfectionis cauſa, non vero Infinitum.

Quod omnia tamen a Deo. Porro argumentari cum ratione licet, quod omnia quæcunque ſint compoſita vel ſimplicia, totum vel partes, cœli cum mundis, unice a Deo, non vero a natura, creata & producta ſint; nihil tribui poteſt naturæ, quum omnia ſic facta ſint, ut ab uno fine per media ad alterum ſponte & neceſſario confluerent; quod ſic cauſa unius ſit a cauſa ſua præcedente, quæ omnes cauſæ ſic in prima concentrantur; adeo ut ſi quidquam cauſæ naturali tribuitur, hoc tribuendum veniat primæ cauſæ & Deo; eſt mechanicum quid dein, quod ita ſequi debet, quia prima cauſa ſic voluit, vel quod idem eſt, quia ſic vult; ergo omne, quod in mundo eſt, eſt Dei opus, nec hilum eſt naturæ. Pariter, quodcunque miramur in natura, tanquam ſapiens, conforme, harmonicum, infra aut ſupra noſtros ſenſus, non miramur tanquam naturale ſed tanquam divinum; nihil eſt naturale, quod non divinum, ſicque in quacunque mundi parte,

parte; quocunque sensus nostros vertimus, nihil datur, in quo non mirari debeamus creatorem & causam. Hinc sequitur, quò plus lusus naturæ miramur, quod eo magis Infinitum in natura miremur, quia nihil est naturale, quam obsequium, nec obsequium, quia per necessitatem obsequi debet.

Quum itaque nihil sit naturale, quod tanquam naturale per se mirari, minus venerari possumus, sed tanquam divinum, possumus jam nominetenus tribuere naturæ, sive nomine naturæ uti, nam non infinitum est, sed finitum; non aliter ac si manu aut digitis aliquid artificialiter velis construere, quum compositum est, possumus dicere esse machinam, & vim aut potentiam inesse machinæ, & quamvis jam vis sit in machina, non tamen miramur machinam, sed illum, qui machinam composuit; a digitis & manu est composita, sic potest dici digitorum aut manus opus, sic miramur machinam in manu construentis, sed hoc improprie, nam manus non plus ex machina aut vi machinæ sibi potest vindicare, quam *Quod tribuere possimus naturæ.*

quod fuerit medium aut inſtrumentum, quo conſtructa ſit; poſſumus ſic ulterius ire & dicere, eſſe corporis opus, & hominem ſic craſſe mirari, ſed hoc nondum adæquate, quia quatenus eſt manus, eatenus eſt corporis opus: adhuc poſſumus ulterius inducere, eſſe hujus vel illius hominis, & adhuc ulterius, eſſe non hominis niſi quatenus rationalis, & eſſe ſic imaginationis & ſcientiæ ejus; nec ſic adhuc vere, niſi dicamus, eſſe etiam animæ ejus opus, ſcilicet quatenus eſt rationis, cujus ope non modo inventa eſt machina, ſed cujus juſſu dein eſt conſtructa, unde admiramur in ipſo opere ſapientiam & intellectum inventoris, non machinam operantem niſi abſtracte mechaniſmum, nec admiramur manum, corpus & reliqua inſtrumenta, animæ ejus neceſſario obſequutura.

Ut ergo agnoſcamus in ipſo opere & in machina conditorem & Infinitum, & videamus non modo quantus ſit, ſed quod infinitus ſit, & quod finitum & natura nullum locum ſibi vindicare poſſit, niſi quatenus medium aut inſtrumentum, quod neceſſario id efficere

re

re debet: per nulla argumenta efficacius demonstrari potest, quam per contemplationem ipsissimi ejus operis, nam illa tangunt sensus, qui movent tandem animam, & mediate creant stuporem, quod non ita vive fieri potest per rationes sine operis alicujus lustratione & contemplatione, qua totum & partes.

His præmissis intueamur jam cœlum seu universum, quid non miramur in cœlo? tot sideribus plenum, tot mundis fortassis locupletatum nostro mundo similibus, in quibus ipsissimam vastitatem secundum nostrum conceptum miramur, quum tamen fortassis parum est, quod videmus, sed tamen omne illud ne punctum quidem est in respectu ad Infinitum; si omnes stellas consideremus prout in mundo nostro solem, possunt etiam illæ solis loco esse, & suum mundum cum planetis formare; in quo respectu, quid non mirari licet in multitudine mundorum? quale non foret indefinite finitum? sique universum adhuc contemplemur, est unus mundus nlo-

Per contemplationem naturæ perducimur in agnitionem Dei.

Ex cœlo.

do una ejus pars & quidem exigua, quæ nobis tam vastissima apparet: si partes consideramus, seu stellas aut soles hoc est mundos singillatim, constituunt simul unum systema, quod sine partibus non subsistere potest, fortassis quælibet hæc pars tam necessaria est in systemate, ut deesse nequeat, nisi nexus aliquis in systemate rumpatur. Si oculos & simul animum mittamus modo intra nostrum mundum, in respectu ad universum tamen exiguum, quot non innumera occurrunt? quæ stuporem creant; ut si solem, vel planetam vel satellitem, vel ipsam tellurem in specie, & cujusvis speciei partem, plura forent dicenda, quam sufficerent charta & tempus; & adhuc magis, quum nulla pars sit, quæ non reliquis partibus & toti sit necessaria, quæ simul systema constituunt, in quo partes tam harmonice compositæ sunt, ut nihil dicere possis deesse debere, nihil quod suum usum non præstet, ut reliquæ partes subsistant, & ut totum sit perfectum: ad quod perficiendum indefinitæ series & causæ, tam mechanicæ, quam physicæ sive contingentes, una

una post alteram, una simul cum altera, antequam ad finem pervenerint, adesse debuerint. Si hæc statim primo momento ita perfecta sunt, prout jam actu sunt, sive omnia in primis entibus præsentia, quæso? quomodo non mirari liceat causas totius & partium.

Quia his immoramur, velim etiam humani corporis structuram contemplari, & inde videndum præbere, quod nihil in toto corpore sit, quod non partibus suis & toti sit necessarium, sive quod non ejus usus sit, ut totum possit subsistere; pariter ut omnia conspirent ad communem finem; quæ ut sic componantur, an natura hoc per se potest efficere? an mechanicum quid sine intelligentia infinita? an sine causa in Deo? sive sine sapientissima providentia in causis contingentibus, physicis & mechanicis, quæ si non sapientissime conspiraverint, neutiquam inde per se aut casu potuissent primitus confluere. Sed quia de his in specie acturus sum in mechanismo operationis animæ & corporis, hinc velim generaliter recensere, qualem usum singula ad totum præstare videantur.

Ex structura corporis humani.

Ipsum hominem novimus creatum esse in illum finem, ut delitiis mundanis frueretur, ut possideret cum suis posteris tellurem: sapientia & ratio ei data est, ut sciret venerari & colere numen infinitum, ut eo melius sciret uti delitiis mundanis, ut sic magis delitioso illarum sensu gauderet, ut sciret mundanas delitias sociare cum cœlestibus: etiam ut aliquid adhuc in mundo perficeret, quod sine ente materiali & talibus mediis perfici non posset: denique ut inciperet vivere seu vitam trahere, quæ dein sempiterna esset, & nesciret mori, ut sic angelorum numerum augeret. Utque ad hos fines perveniret homo, datum est ei corpus, & datæ sunt corpori partes, quæ omnes in eundem finem conspirarent; datum ei est caput cum cerebro, & hoc iterum præditum sensibus, & hi anima.

Prætereamus ossa cranii pro tuenda & conservanda ipsius cerebri machina, pariter prætereamus tegumenta ossium, ut cuticulam, cutem, periosteum, pilos: & ad interiora ejus nos conferamus, ubi statim occurrit membrana, DURA MATER dicta, ex fibris tendineis constans

constans, pluries cranio juncta, ut cranium investiat, & subjacentes meninges & ipsam cerebri substantiam defendat; ut utrumque cerebrum firmet, inque suamet figura & intra limites teneat, ut omnes ejus partes in genuino & naturali situ conserventur immotæ, & ne cerebrum immediate ab ossibus lædatur, pariter ut medium sit ad sensus quosdam excitandos versus interiora. Subterjacet PIA MATER, inter quam & priorem aliqui dicunt ARACHNOIDEAM intercedere, sed maneamus circa hanc, quæ altius se in cerebrum immittit, & præter partes in cerebro etiam medullam spinalem & nervos investit, vasis sanguineis innumeris & fere tota circumsparsa aut conflata; illum in finem, ut non modo involvat cerebrum, sed etiam intimos ejus anfractus & plicas investiat, ut sanguinem in cerebrum distribuat, partim calorem inducat, partim liquidum suppeditet, ad nutriendas, vegetandas, componendas partes; ut sensum subtilem non recipiat modo, sed illum per membranas subtiliores versus interiora derivet, ut illæ, quæ adhuc subtiliores sunt, sensus & tremo-

res possint recipere; quas membranulas cum nervis cujuscunque generis communicat, quia illos investit, quorum maxima pars est, quia est illorum commune tegumentum. Prætereamus divisionem cerebri in hæmisphæria, & hæc in lobos, pariter divisionem in cerebellum, & illorum substantias corticales & medullares; quorum unumquodque tam in genere quam in specie suum usum singularem præstat, ut sensationes non modo rudes corporis, sed omnium sensuum versus interiora magis & magis deferant, adque ipsam animam seu subtilissimas partes; pariter ad nutriendas & in situ detinendas partes vicinas & duriores; quarum omnium non modo partes, sed etiam illarum partes, omnem suam operam accommodant, ut commune possit nutriri, subsistere, agere, pati, verbo ut homo possit vivere, sentire, & ita vivere & sentire, ut pars subtilissima præcipue vivat. Quo ut omnia tendant, sunt etiam cavitates in cerebro insignes, quarum binæ sunt anteriores, quæ dum in conspectum per sectionem veniunt, se etiam videnda

præ-

præbent, ut SEPTUM LUCIDUM seu pellucidum substantiæ medullaris pia matre obductæ & dictos ventriculos distinguentis; occurrit etiam FORNIX pariter substantiæ medullaris; plexus choroideus seu membranis & vasculis refertissimus, tum CORPORA STRIATA, ubi partes corticales per strias tanquam radii a terminis ad terminos excurrunt, & sic nobilissimam illam medullam oblongatam intrant & inchoant, quæ est origo nervorum cujuscunque generis: apparent etiam THALAMI NERVORUM OPTICORUM, albi & cineritii coloris: si vis ventriculum tertium evolvere, occurrunt visui statim plures partes, ut GLANDULA PINEALIS, NATES, TESTES, sub quibus VALVULA MAGNA cerebri, ad cujus orificium posterius ANUS, tum RIMA AD INFUNDIBULUM, per quam communicatio fit omnium ventriculorum; quartum ventriculum inter cerebellum & medullam oblongatam præterire velim, quæ omnia usum præstant, ut partes cerebri in distinctissimo ordine inter se divisæ teneantur, ut quælibet pars non modo nutri-

ri,

ri, ſed etiam cum altera commutionem habere, & præcipue ut ſuperflua inde poſſint excerni, ut ſic quælibet pars non a ſuperfluis impedita ſuum munus poſſit obire.

Veniamus ad CEREBELLUM, quod ſeparatum eſt, ab ipſo cerebro, quo etiam ſexies minus eſt, circa occiput cubans, adeo ut propius ſit ad actiones involuntarias corporis, & conſequenter propinquius cordi & pulmonibus; in quo ductus mirari licet lamellatim parallelos & circulares, qui in proceſſus vermiformes deſinunt, ſubſtantiæ tamen ejusdem cum cerebro corticalis & medullaris, quamvis in diverſa ratione quantitatis & ſitus: in ſtuporem etiam veniet ſpectator, quum videt ejus lobulos exſectos, & inibi ſitum partium medullarium, pariter quum pedunculos cerebelli, quorum unus valvulam magnam conſtituit, alter prominentiam annularem, tertius ad medullam nervorum deſcendit; & eo magis, quum omnia, quæ ejus functionis ope in corpus agitur, ipſum cerebrum propinquum fere neſciat, licet

licet cerebellum omnia sciat, quod cerebrum novit, unde quicquid ope cerebelli in corpore peragitur, dicitur involuntarium, quasi nihil perceptibile antecesserit, antequam in actum sit productum, ut motus cordis, quorundam musculorum & nervorum in corpore & innumera alia.

Sed redeamus ad cerebrum, & quidem ad MEDULLAM EJUS OBLONGATAM, quæ orta a corporibus striatis tendit versus occiput, & se contigue jungit cum medulla spinali, adeo ut sit communis parens & nutrix nervorum, ubicunque nervi in corpore sint; pariter omnium nervorum, sensuum, visus, auditus, gustus, olfactus, unde etiam omnes nervi sensorii illuc intrant & ibi terminantur; estque substantiæ extus medullaris & intus corticalis inverse prout alias in cerebro, quomodo hic omnes sensationes, pariter ideæ & operationes animæ concentrentur, & quomodo hic omnium sensuum tam subtiliorum quam crassiorum fons sit, alibi demonstrandum est. Cui cum adhæret

hæret contigue medulla ſpinalis, conſiderandum eſt, quomodo illa per dorſum tendat incluſa ductu oſſeo vertebrarum, quomodo tunicis & membranis inveſtita, quomodo intus & extus communicatione cum tunicis & membranis cerebri gaudeat, adeo ut ſic omne, quod in toto corpore peragitur, ad cerebrum mox deferatur, & ejus ope ſentiatur, & dein ab anima relatum in voluntatem expandatur; & quia hoc præcipuum corpori officium præſtat, hinc munita eſt oſſium crate 24 vertebris conſtanti; tunica ligamentoſa robuſtiſſima, cujus ope combinantur vertebræ; dura matre, arachnoidea, pia matre, quæ ſequitur nervos quomodocunque diviſos; & ex ſe transverſim in corpus ad functiones varias obeundas emittit 30 ad 32 paria nervorum, quæ dein in diverſiſſimos ramos, & ramorum ramuſculos abeunt, & tandem ſe in corpuſcula exiguisſima lamellata vel in tunicas diſpandunt.

Sed recenſeamus breviter illa, quæ in oculis exſtant, in quibus videmus mira-

mirabilia naturæ unice ad visum præbendum cum mille partibus concurrentis; præterire volo palpebras, cilia, musculos, glandulas sebaceas, carunculam lachrymalem, membranam semilunarem, puncta lachrymalia, glandulam ejus, pinguedinem & plura alia, quæ ad motum, nutritionem & sustentationem ipsius organi inserviunt, & quæ oculum in situ tenent & conservant, ut usus ejus continuus possit reddi: quod ipsius visus non vero oculi quatenus organi mechanismum concernit, videre licet tunicas oculi varias, ut albugineam seu adnatam vasis refertissimam, corneam pellucidam & in varias lamellas divisibilem, scleroticam vero duram & opacam usque ad nervum opticum extensam; choroideam pariter vasculis repletissimam sed nigram; uveam sive choroideæ partem anteriorem per corneam conspiciendam, convexam, in qua iterum plura notata sunt, ut anterius coloratum quid, quod ideo iris dicitur, tum pupillam in medio iridis, quæ comprimi & extendi possit; idem posterius est nigrum quid, sub

ſub quo apparent ſpinther pupillæ, fibræ ciliares, & illarum ligamentum, circulus arterioſus & venoſus, ductus etiam nigri obſervantur inter proceſſus & ligamentum ciliare: porro jam obſervanda venit retina, ſeu tunica tenerrima, albicans, quaſi mucoſa, ubi primario viſus omnis ſeu organa ejus ſe concentrant vel eo ſpectant, ut illuc poſſint radios vergere & deferre, & dein per nervum opticum amplius verſus partes anteriores & interiores cerebri auferre, unde etiam retina apparet tanquam receptio radiorum, nam eſt expanſio nervi optici. Ex quibus omnibus percipere licet mechaniſmum peculiarem mechaniſmo motuum in particulis æthereis ſimilem, pariter omnium partium admirandam harmoniam, ut omnes motus recepti varie concentrentur vel deducantur uſque in retinam, quæ ſe ſuper nervos opticos expandit, qui per cerebrum verſus ipſam medullam oblongatam pergunt, & ſe ibi immergunt, ubi reliqua ſic ſenſus noſtros fugiunt. Utque oculus tanquam organon cum ſuis partibus in ſitu naturali

&

& mechanico permaneat aptum semper recipiendi modulationes ætheris, additi sunt liquores expansioni tunicarum inservientes, & quidem a radiis pervii, ne impediant luminis transgressum; ut aqueus sive albugineus, in quo uvea quasi libere natat, dantur etiam vasa, per quæ humor continuo reparetur, & in justa sua quantitate & qualitate adsit; datur humor vitreus pellucidissimus, partem posteriorem oculi replens usque ad retinam, cui contiguus est, sine quo retina siccior, nec in expansione nec in ulla receptione motus se insinuantis esse possit; datur etiam chrystallinus reliquis compactior in vitreo ope tunicæ inclusus, pendetque lens dicta libere inter aqueum & vitreum & sic mobilis, ex multis lamellis pellucidis vasculosis constructus; ipsum corpus vitreum per tunicam arachnoiden dictam vasculosam & chrystallinam cingitur pro conservatione lentis chrystallinæ: præterire velim arteriolas & venulas mire oculi contextum intrantes, pariter nervos, ut opticos, qui e retina transeuntes se medullæ oblon-

gatæ immergunt; ut & nervos, qui officium ſuum præſtant motibus totius organi tam in genere quam in ſpecie, & pariter muſculos: in his jam videmus, quomodo omnes partes ſingillatim conſpirent, ut totum ſive oculus ſit organon aptum recipiendi modificationes ætheris aut luminis, & ut ſit tanquam medium ſenſationis, quæ nulla eſt in oculo, ſed in cerebro, & in illis membranulis, ubi ipſiſſima repræſentatio fit, de quibus copioſe alibi; nam oculus per ſe eſt organon ſine ſenſu, ſed ſenſus in interioribus, in altero fine, hoc eſt, præcipue in anima conſiſtit.

Sed maneamus potius circa unum organum; nullum enim organon datur in corpore animali, quod ſpecifice & particulatim luſtratum non præbeat infinita ſtupenda; quomodo ſcilicet una pars ſe jungit cum altera, una movet alteram, una figurat alteram, una in ſitu tenet alteram, una conſervat & nutrit alteram, ſic minimæ maximam, inviſibiles viſibilem; & omnia conſpirant ad unum finem, ut vel videat, vel audiat,

audiat, vel aliter sentiat homo; & omnia simul sumta vel totum, ut homo activus corporeus vivat, & rationalis sit; & hæc ad finem primarium creationis. Maneamus, inquam, in anatomia & lustratione unius modo organi, prout AUDITUS, & videamus, annon illud solum possit nos in stuporem auferre; & deinceps inde concludamus, in quemnam stuporem non abduceremur per anatomiam & lustrationem reliquorum. Organon præcipuum animæ est auditus, nam ejus ope erudimur & discimus percipere, ejus ope formantur, mandantur & memoriter figuntur scientiæ, quarum partes dein distincte ad usum suum poterit evocare anima & hominem rationalem reddere: cumque ille sit finis, ideo etiam præcipuæ illius organi partes, ut canales semicirculares, cochlea & ossicula interna ejusdem fere dimensionis & magnitudinis sunt in infantibus quam in adultis, nec ita accrescunt, adaptantur & refinguntur per usum & cultum, ut reliqua. Ipsa auricula cum suis partibus, concha & meatu auditorio, ita figurata conspicitur, ut omnis tremor aeris undiquaque

collectus ad membranam tympani apte derivetur; inde CARTILAGINEA est, ne nimis dura & ossea reflectat tremores, nimis mollis aut carnea cedat & absorbeat, ut quocunque casu flexa in formam & situm relabatur, & semper similiter figurata sono arrecta sit: ideo etiam binis vel tribus musculis gaudet, uno super musculum crotaphitis jacente, altero a superiore & anteriore parte apophysis mastoideæ originem trahente, & 5 vel 6 fibris carneis constante, seque circa mediam partem conchæ terminante: qui quamvis in homine exigui nec multum activi sint, aurem tamen in situ semper tensam tenent, quam nec ita arrigere necessum est, ut animantibus: nam in illo situ tenetur auris humana, ut tremores ad omnem angulum & directionem, tam superne quam infra & oblique venientes plenissime excipere & haurire possit; aliter si non ita reflexa & retracta jaceret ad ossa temporis, ut si conice formata, ut in animantibus. Prætereamus jam MEMBRANAM ejus NERVEAM, cartilagini immediate adhærentem, ut eo melius situs sui

tenax

tenax ſit: pariter CUTICULAM TENUEM parti ſquameæ adjunctam, qua auris obducta eſt cum reliquo corpore tanquam tegumento communi, quæ quia tenuior, etiam aptior eſt aerem tremulum recipiendi. Nec opus eſt multis recenſere vaſa ſanguifera; arterias ſcilicet ex CAROTIDE externa & venas ex JUGULARI oriundas, quas auris tam extrinſecus quam intrinſecus recipit; nam rami ex carotide, poſteaquam faciem ubique irrigaverint, aſcendunt ad aurem tam externam quam internam; pariter eis ſe adjungunt venæ; ut ſic contiguum tam caloris quam liquoris ubique ſit tam per aurem quam per totam faciem, ut & per matres & meninges internas; & conſequenter teneant omnes tunicas calidas & tenſas, & ſic ad omnes motus aptas, & ubique a ſanguine nutritas & nutriendas. Figuram auris externæ videre licet tanquam ſulcatam & plicatam, in illa ſcilicet PINNAM ſeu ſuperiorem ejus partem, HELICEM & ANTHELICEM, TRAGUM & ANTITRAGUM, & LOBULUM, pendentem & molliorem, tandem

CONCHAM, quidam addunt GLANDULAS SEBACEAS vel FOLLICULOS CUTANEOS; omnia ſic formata, ut tremor appellens diſtincte & per flexuram & ſinum helicis cujusdam verſus concham & inde in meatum auditorium per momenta & gradus ſemper ſubſequentes verſus tympanum deferatur, unde omnes ſinus & viæ ſpirales illuc tendunt; ſique ſuperfluum quid ſuperveniret, hoc inter tragum & antitragum elabendi anſam habet; vel ſi ſonus immediate in concham ferretur, & reflecteretur, tamen uſque reflexus ut in linguas obſtantes, exceptus verſus meatum auditorium mediate derivaretur, & ſic omnis intraret; ſed tamen ita, ut circa latera ſerpere cogatur, adque ipſam membranam tympani circa omnes ejus oras & limbos laberetur; prætereamus omnia illa, quæ in ipſo meatu occurrunt, quorum ſingula ſuum uſum habent, quod ſcilicet partim cartilagineus ſit, partim oſſeus, quod progreſſus ſit tortuoſus & obliquus verſus anteriora, quod cartilagines ſint quaſi fractæ, quod tunica elaſtica obductæ; quod

quod cutis ex innumeris glandulis flavescentibus constet; quod glandulæ sint flavæ, exiguæ, ceruminosæ, quod cerumen sit flavum, aliquatenus amarum; quod sint pili, & plura alia. Sed veniamus ad membranam tympani, quam videre licet non plene expansam sed convexam, non perpendicularem sed obliquam, non solam & liberam sed malleo junctam, non tensam sed paulo laxam, ut sic sonos articulatos eo melius recipere, & dein ulterius transferre possit: ipsum mallei manubrium adhæret a superiori margine usque ad centrum, quod illam ita disponit, ut potens & apta sit omnem varietatem in tremoribus & tonis recipiendi; quos distincte recipere non posset, nisi manubrium radii aut semidiametri instar ei se adfixisset; sic enim nullus tonus alibi membranam tremulam potest reddere, quam distantiæ a manubrio seu radio suo convenienter, unde tot distantiæ in membrana auxilio manubrii formatæ visuntur, quot usquam dari varietates in sonis possunt: at vero si nuda sine distinctione per aliquod mallei crus

foret appenſa, aliquid diſtincte tremulum in ſe vix admitteret: adeſt etiam chorda membranam percurrens, ut ejus ope ſcire poſſit anima directrix, num rite & ad omnem peripheriam tenſa ſit vel non; ſtatim ut minus ab una parte quam ab altera laxior aut tenſior ſit, admonet nervulus ab uſu & exercitio quaſi informatus, & tandem ſponte ex habitu, neſciente homine, quod ſcilicet aliter tendendus ſit; unde duo muſculi dati ſunt malleo, unus qui manubrium torquere poſſit & paullum circumflectere, ut ſic, ſi ab uno latere minus laxa aut tenſa foret membrana quam ab altera, ſtatim per exiguam flexuram faciat, ut ab utroque latere manubrii tenſio ejus ſit adæquata; additus etiam eſt alter muſculus, qui actionem aliam in malleum etiam exerceat, membranam elevando, ſi infra vel in inferiori membranæ circulo ſit reſtituenda tenſio; verbo motus muſculorum talis eſt, ut illorum ope ad omnem directionem æque intendi & laxari poſſit tympanum, admonente ſubtili chorda; ejus figuram concavam prætereamus, quia obvium eſt, tremores per circulos & curva-

curvaturas ut sui dissipationi convenientiores fluere velle. Sunt jam tria ossicula, MALLEUS, qui articulatur, prout alia ossa, cum INCUDE, ligaturque per tendines, ut non modo musculis suis obedire possit, sed etiam cuicunque tremori suæ membranæ: incus vero STAPEDI adjungitur per exiguum OSSICULUM, quod quartum vocatur, uno crure per tendinem ligato & in foveola detento: ipse stapes bina crura æqualissima possidet, quæ non modo excavata sunt, sed per se quoque flexibilia & elastica, perque limbum circularem pariter cavum incumbit fenestræ ovali; transfertur sic mire tremor a membrana tympani ad fenestram hanc ovalem; per ligaturas ossiculorum adest momento idem tremor in fenestra, qui per membranam receptus est; ipse stapes ad eosdem nictus se illico movet, ad quos motum est manubrium tympani; ipsa flexibilitas in stapedis chelis aut uncis efficit, ut aptior sit fenestram ovalem in similes nictus movendi; ipsa cavitas in stapedis collo vel capite, cruribus & limbo, ut tremor etiam intus sentiatur,

 sive

ſive incluſus ſit aer ſive æther, qui ſic quoque communicari poſſit cum feneſtra & fere inſtanti cum labyrintho: ipſa feneſtra per tales modulos ſe etiam tendit & laxat, prout ſe ſtapes elevat vel deprimit, & facit ut tremor aeris incluſi & per ſuos ductus ſemper præſentis poſſit recipi: ſicque mūltipliciter ſe in feneſtram a membrana tympani derivat tremor & omnia unanimiter conſpirant in ejusdem tremoris receptionem: utque hæc in ſuo ſtatu teneantur integra & æquilibrata, ſtapidi etiam muſculus additus eſt, qui ſe ad nutus prædictorum muſculorum in malleo aptare noverit. In labyrintho occurrunt innumera notatu digniſſima; occurrunt ibi tres canales ſemicirculares dicti, quæ tubarum ſeu cornuum inſtar formati per quinque orificia patent, duobus in unum foramen coeuntibus, in quorum cavitate idem elementare adeſt, quod in ipſo labyrintho, quo pleni & quaſi diſtenti cubant; inveſtiti ſunt membrana tenui, & extrinſecus ſubſtantia poroſa, hinc & inde alligati oſſi; unde tremor jam a feneſtra ovali

li illuc translatus per parietes membranaceos labyrinthi perque aerem intermedium in unoquoque canali momento adest, figiturque & incipit quilibet in sua distantia ab orificiis, serpitque utrinque versus orificia; utque hoc sentiat anima, nervulus ex pari quinto molli percurrit omnes, qui conscius soni articulati & ad hanc vel illam distantiam & consequenter celeritatem moti, defert illum per nervum totum auditorium & sic in cerebrum, medullam oblongatam, ad ipsam animam. Ut adhuc articulatius percipiatur sonus, addita etiam est cochlea ad omnem mechanismum harmonicum formata, serpentino modo se circum suum nucleum flectens, circulus spiralis ab una parte latior est, ab altero per gradus angustior; adeo ut nihil in sono dari possit, quod non habere queat suam distantiam aut centrum, ubi incipiat, & abinde ad extremitatem pergat, omnes enim dimensiones adsunt: pariter ut sonus altior & altior fiat, & progrediendo a termino ad terminum versus fenestram rotundam intendatur: illum etiam in finem est canalis hic diver-

diversæ craſſitiei, circa nucleum tenuiſſimus, ut ſic omnem gradum tremoris recipiendi capax ſit: dividitur etiam canalis per tenuem lamellam oſſeam & membranaceam a ſummo ad imum, ut membranaceum ejus eo melius tremiſcere poſſit, quum alligatum ſit laminæ tenui, duræ & fragili, & ab uno fine ſequatur ad alterum, utque tremor eo diſtinctius veniat ad finem; ideo etiam ei data eſt apertura verſus veſtibulum,ut idem effectus in cochlea, qui in tubis aut canalibus prædictis exiſtat: & quia nullus tonus fere alteri ſimilis eſt, ſed datur indefinita varietas, hinc cochlea formata eſt cum omni varietate qua formam, craſſitiem, amplitudinem & plura, tremor etiam amat gyros ſpirales, circulares & hyperbolicos, hinc nihil dari poteſt in ſono, quod hic non locum ſuum ſortiri queat. Sunt etiam nervi innumeris in locis nucleum & laminam tranſeuntes, ut illi varietates dictas in ſe poſſint recipere, nam nullus ſenſus eſt ſine nervis, & nullus in nervis niſi per motum, hinc omnis tremor in cochlea & membranis ejus ſtatim ſentitur ſimilis in ner-

vis

vis, qui ideo tam multis in locis per cochleæ interiora se dispandunt; fitque omnis motus eo sensibilior, quum filamenta nervorum cochleam percurrentia secundum longitudinem ejus serpant, & quidem versus fenestram rotundam, circa quam ipse nervus intrat, adeo ut tremor filamenta sequens in crassiorem & crassiorem ejus partem se conferre videatur, ut eo distinctius & sensibilius per totum nervum auditorium exceptus deferatur.

Hic iterum vides, qualis sit mechanismus naturæ, ut modo tremor in aere deferatur versus interiora, imo versus ipsam animam, si rationale quid in sono sit, quod per articulationes & voces fit, & dein per earum compositiones altius & altius; hic vides non modo Mechanismum, sed etiam tot ejus partes ad unum eundemque finem tendentes, ut audiat homo, ut delitias mundi cum ratione percipiat, ut inde sciat, quod qua animam vivat, ut sic miscere sciat delitias mundi cum delitiis animæ, & animæ cum delitiis ex mundo adhuc subtiliori; tandem cum Deo,

Deo, in quem ſic deſinet omne tanquam in unicum finem; de quibus infra melius.

Quod omnes partes tendant ad ſuum finem.

Si jam voluiſſem hoc amplius extendere, potuiſſem omnes partes corporis, ut jam organa olfactus, guſtus, tum cor, pulmones & mille reliquas partes & partium partes deſcribere: Nam vides hic omnes ad unum finem conſpirare, ſcilicet minores ad ſuum, ut partes majores poſſint obtinere ſuum, adhuc minores ad ſuum, & ſic minimas ad ſuum, ergo omnes hæ minimæ per majores & majores, ſive omnes ſeparatim & conjunctim conſpirant ad finem communem ſeu totius; ut ſic nihil in corpore humano ſit, quod non conſpiret ad finem, propter quem homo creatus ſit, ut ſcilicet delitiis mundanis fruatur, ut delitiæ humanæ referant ſe ad animam & rationem, & ſe cum delitiis animæ ſimul ſiſtant, ut delitiæ mundanæ ſint rationales, ut delitiæ rationales ſint tales, ut aliunde ſuas delitias habeant, ut tandem in delitiis divinis terminentur, in quibus ipſiſſimus ſenſus delitiarum ſubtiliſſimus & genui-

genuinus consistit, nam illarum centrum & finis non est in centro aut fine, in quo anima; sic si delitiæ veræ esse debeant, non possunt terminari quam in Infinito, in quo termino est ipsa voluptas perfectissima: ad hunc finem dico conspirant omnia membra, illorumque partes, partium partes & minima, quæ sic tanquam media mediorumque media tendunt non ad alium finem, quam ad totum & communem, propter quem homo creatus est, & in mundum introductus.

Hæc omnia jam non potuerant casu existere, quamvis naturaliter exstiterint & existant, videmus enim ad oculum media tendentia ad unum finem, videmus consensum & harmoniam omnium, & præcipue minimarum, ut quasi ad centrum suum tendant, & quod se nude respiciant ut media ad finem communem; sique adhuc altius eundo perciperemus subtiliores partes ad suum finem conspirantes, quæ scilicet minimas partes in homine moverent, videremus in iis nisum adhuc perfectiorem & puriorem ad eundem finem

finem ſpirantem; & ſic in ipſiſſimo minimo eſſe primum illud & facultatis principium, tendendi ad illum finem; ergo ſic videre licet omnia reliqua tanquam effectus & effectuum effectus conſpirantes ad certum finem, qui incipit in minimo, & cui ſic omnia illa ineſſe debent, adeo ut in minimo naturali omnia media uſque ad finem fuerint concentrata, incluſa, & conſequenter præſentia: videmus etiam, quod media ad illum finem neutiquam poſſint venire, niſi innumeræ & innumeræ cauſæ & contingentia & neceſſitates tam mechanicæ quam phyſicæ concurrerint, ut ita, non aliter potuerint coire: ſi itaque naturam velis agnoſcere autorem univerſi & hominis, convenies omnino mecum, quod in ipſo hoc minimo fuerint omnia illa, quæ dein actu exſtiterant, tam ut contingentia ſic exiſterent, quam ut omnes cauſæ intermediæ conſpirarent ad talem finem; non enim caſu potuerant, caſus agnoſcit cauſas, ſed non cum intelligentia junctas, ut ſic coeant, ut ſic ad unum finem ſimul & ſucceſſive conſpirent, præcipue ſi cauſæ ſint innume-

nume-

numeræ; velim propter conceptum modo ponere mille cauſas, ſi caſus regeret omnes cauſas, ut ſic omnia mille ad illum finem pervenirent, & finis eſt talis, ut omnia tam ſtupendo modo reſpiciant primam & ultimam cauſam & Infinitum, adeo ut finium reſpectus primi & ultimi aliquid infiniti involvat; tunc inquam mille caſus forent, utque hi mille caſus ita contingerent, contra omnem rationem foret, ſi caſus ſit caſus, & ſi caſus oriantur ex cauſis.

Velim adhuc aſſumere idem argumentum & pone[illegible], quod ſint caſus, quod ſint vices innumeræ, quæ caſus hos produxerant, adeo ut tot vices fuerint, ut omnes caſus potuiſſent exiſtere; ſed reſpice tenorem & ſeriem caſuum, reſpice directionem caſuum ad unum finem, annon hic immenſum quid ſupra agnoſces, annon agnoſces aliquid dirigens, aliquid applicans, ut omnia per illum ordinem a primo ſuo ad ultimum pervenire potuiſſent, annon ſic infinitum quid; ut ſic aliquid, quod non intelligere potes, quid

aut quale ſit, tamen agnoſcere debeas.

Pone jam, omnia in natura eſſe media ad illum finem, & pone neceſſitates mechanicas & phyſicas conſpirantes ad illum finem, exinde omnino miraberis ipſam cauſam talium neceſſitatum & cauſarum ordine & ordine efficientium, videbis ſic omnia concentrata in minimo tuo, unde ab ipſis effectibus naturaliter, ope ſenſuum, imaginationis, perceptionis, animæ concipere potes, in primo illo fuiſſe aliquid, quod aliunde non provenire potuerat, quam a cauſa in Infinito: ſic ex ipſis effectibus & ſenſibus exque ipſa natura viſibili vel ſenſibili melius & clarius perducimur in agnitionem Infiniti, quam ex aliis rationibus animæ; & ideo etiam ſenſus nobis dati ſunt, & illis addita eſt anima rationalis, ut in ſtatu naturali poſſimus ſenſualiter duci ad agnitionem numinis in infinito.

§ VI.

Jam tandem venit ultimum inter demonſtrationes, Infinitum eſſe cauſam

ſam finiti, & Deum infinitum eſſe conditorem univerſi; ultimo loco venit, quia emanat partim ex ſe aut anima humana, partim ex ſupradictis: eſt ſcilicet tacitus conſenſus aut tacita concluſio animæ, eſſe Deum, & Deum eſſe infinitum: hoc dictari, inquam, partim ab anima libera, partim ab anima ex effectibus diverſiſſimis mundi inſtructa & quaſi admonita; eſt non diſſimile rationi in anima, quæ venit partim ab anima partim a corpore, ſed neſcimus unde venit, quia neſcimus animæ ſtatum; nec diſſimile eſt actionibus involuntariis & connatis in corpore, quæ quaſi ſponte fluunt neſciente quaſi corpore, ut innumeri motus interni corporis, ſenſuum, muſculorum, cordis, fluidorum, & emiſſiones cauſarum efficientium, ut moveantur muſculi ad arbitrium animæ vel factæ concluſionis; hæc & ſimilia, quia neſcit corpus, unde veniunt, & num a quadam cauſa determinantur in motum, quia ſenſus motum vident & perennem; hinc tanquam ſponte & ſine corporis quaſi participatione emanant: ſunt etiam alia innumera, quorum ef-

Quod tacitus animarum conſenſus ſit, dari Deum infinitum.

fectus novimus, quorum causam non possumus exponere, ut multa harmonica & ad perfectionem naturalem quodammodo accedentia, quæ nos illico captant, quæ laudamus, quibus vel visis vel auditis arridemus, quorum causam quasi nescimus, quam sit causa, ad minimum in perfectione & harmonia vel vera naturali vel cum nostra conveniente. Hæc tantum similitudinis gratia adducta sunt, ad remonstrandum, multa dari in corpore nostro organico, quorum originem derivamus aliunde, quam ab anima vel nexu ejus harmonico cum corpore, quæ sic videntur tanquam spontanee evenire: sic etiam esse potest cum tacito animarum consensu & sensu, dari Deum & esse illum infinitum.

Sed quia parum philosophicum est, ab anima tale spontaneum derivare, quale est involuntarium in corpore, & harmonicum aut perfectum in rebus & rationibus; usque tamen non negari potest, quin in homine qualitercunque homine, modo rationis usu polleat, sit illud, quod agnoscat Deum omni-

omnipotentem & numen in omnibus præsens & providum, adeo ut videatur tanquam innatum, & rationis non nimium per ideas turbatæ, aut perparum excultæ vis. Sed sit spontaneum vel non, perinde est, modo consequens detur, quod nullus inter mortales, modo ne nimium aut perparum rationalis, sit, qui non agnoscat numén, sed quale sit, nesciat; hinc cum ideas suas exercuerat & rationem acuerat, ut vellet scire quale sit, in peregrina ignota, & conclusiones ideales inciderat; sciverat quidem, numen dari & omnipotentiam dari, sed quale illud sit, per rationem dictantem non concludere potuit; non secus ac ipsi philosophi, quamvis altius & altius iverint, tamen quia τὸ quale in Deo non potuerint per ratiocinia indagare, hinc sibi τὸ quale finxerant, quod coincideret cum qualitate naturæ; & sic unus idemque est fons errorum in populis idololatris, qui in philosophis quibus natura est idolum; differentia modo intercedit, qualis inter crassum & subtile, inter majus & minus plausibile, inter rationem perparum aut nimium excultam.

Ne tamen aliquid pro certo ſtatuam, quod rationi & philoſophiæ fortaſſis non tam clare conveniat, & ne aliquid ſine demonſtratione prævia immature arripiam, velim ad tempus abhinc diſcedere, & me cum illis conformare, qui hoc ſtatuunt non ſpontaneum eſſe, ſed eſſe effectum animæ admirantis univerſum, ſeu obſtupeſcentis mirabilia naturæ, vel etiam ignorantis, ex quo fonte talia veniant; idem finis uſque obtinetur, quod ſcilicet ſit tacitus animæ conſenſus, eſſe Deum; ad minimum exiſtit talis animarum ſenſus & conſenſus ex ipſa natura per ſenſus viſibili, in qua effectus divini exiſtunt, & in quorum unoquoque nihil eſt, quod non admirari & agnoſcere debeamus ex fonte infinito provenire: ex admiratione totius & partium, exque ſtupore cujuſcunque rei, quam ſenſus capit, & ratio non novit cauſas, ſed neſcia admiratur, tamen uſque per ſe & tacite, vel per ratiocinia & non tacite deducit & concludit, divinum eſſe; ſponte dein ſequitur, ſi concludant hoc divinum eſſe, eſſe ad minimum tale, ut poſſit hoc, quia illud,

illud, facere, ut eveniat, & sic cultus existit.

§ VII.

Objectio, an in primitivo tantummodo divinum fuerit, & non in derivativis.

Sed fortassis aliquis aurem hic arrigit, & putat, non ita ex principiis & priori de Deo ratiocinandum esse, sed sine tali ratiocinatione simpliciter edicendum, Deum esse provisorem omnium rerum contingentium, esse semper & jam ita providum, prout fuerat in creatione ipsissima mundi; non in prima creatione exhausisse omnem sapientiæ & providentiæ suæ vim, sed adhuc infinitam residuam esse in providendis & regendis causis & mundanis secundum nutum, prout videt arbitrandum esse, adeo ut exspectet semper eventum, antequam arbitretur; pariter successive adesse cuivis rei contingenti, ut quum componeretur machina mundi, & machina corporea animæ sive corpus nostrum, pariter etiam hodie in illo statu esse, ut ad beneplacitum secundum causas & effectus, quos videt succedentes, possit omnia vertere & non vertere. Sunt quidem perplurimi, qui tale ratiocini-

um præferendum eſſe putant, ut ſic omnipotentiam divinam habeamus in tempore manifeſtam, & in quocunque tempore proviſuram rebus humanis, prout illæ ſe flectunt & vertunt: & præcipue hoc urgere velle videntur illi, qui finitum quendam conceptum de Deo fovent, & qui non poſſunt, quam ut aſſimilent illum potentiæ & voluntati, qualis eſt in potente rege, qui ſecundum cauſas & leges jubere & non jubere poſſit; qui alias leges formare, & illas moribus humanis ponere, aptare & invertere; cui ſententiæ eo libentius favent illi, qui putant ſe Infinito propinquiores & amiciores eſſe, & illum ſic ad ſuas partes & pro arbitrio poſſe flectere, & ſub autoritate quaſi divina animis & ſocietatibus humanis imperare.

Sed ipſamet hæc ſententia meæ ne hilum quidem contraria eſt, modo ne tam craſſe ſentiant, quod indies mutari ſive ex conjuncturis rerum conſilia nova & nova in tempore capere, & ſecundum exitus ſe continuo & indies applicare illum libeat, ut quod hodie volue-

voluerit, ob res interventuras cras nolit, sive quod arbitrium pendeat a causis successive mutabilibus, prout in homine finito: concedo in his, quodcunque cum ratione concedendum est, modo mihi vicissim concedas, quod Deus sit infinitus; hoc negare nec potes nec audes: si infinitus, anne omnia ei præsentia fuere, quæ nobis sunt futura? an quidquam de Infinito finite prædicari potest? annon sic illud, quod in tempore est successivum vel futurum, in illo præsens? si infinitus omnia præviderit, annon sic etiam providerat; providentia a prævidentia in Infinito distingui nequeunt; si enim providentia sequeretur prævidentiam, ubinam est infinitas? si successive & in tempore semper e novo & novo juxta eventus, quos prius exspectaret, ut sciret annon sic eveniret, operaretur & provideret, ubi est infinitum? si providentia sit successiva prout tempus, ubi infininitum? annon hoc finiti quid involvit? quum itaque infinitus est, quid opus est illum finire ad tempus, casus aut alia, quæ statim involverent in Infinito aliquid finiti esse: si omnia simul

actuata ſint, quæ uſquam in tempore actuanda ſunt, annon ſic eluceſcit Infinitum; ſi præviderit & providerit ſtatim & ſimul, annon hoc idem eſt, ac ſi dicam, illum prævidiſſe & providiſſe in tempore? nam in reſpectu ad nos eſt in tempore & ſucceſſive; & omnia apparent nobis finite, quia finiti ſumus & in tempore vivimus; ideo quod finite & in tempore accidit, eſt illud in reſpectu ad nos; ſed qua Infinitum, non datur tale reſpectivum. Ergo convenimus in eo, quod prævidentia & providentia ſit, ſed differimus in eo, quod ſecundum meam ſententiam ſit illa infinita, ſecundum alteram, quod involvatur aliquid finiti in Infinito; ergo omnis differentia fortaſſis a verbis dependet, non ab intellectu. At qui inde aliquid ſibi decedere putant, in eo fortaſſis, quod ſic non pro arbitrio in ſuas quaſcunque partes flectere poſſe Infinitum videantur, & ſic vulgus in obſequium ſui, non Dei regere, cùm illis non ratiocinandum eſt; nam fortaſſis mundana divinis prævalent: qui ſic fortaſſis optarent, ut vulgus crederet, jam Deum nubes immediate inter

ſolem

ſolem & oculos ponere, jam tempeſtates excitare, jam pluvias demittere, & jam iridem inter ſolem & nubem colorare, jam hominis membra in utero formare, jam inflare animam, & ſic Deum repræſentari ſub imagine finiti, qui in hæc craſſiora immediate vel modis ab illo immediate prodeuntibus in craſſiſſimas mundi partes operaretur, adeo ut ſemper cauſam proximam agnoſcerent in Deo. Sed quia hæc omnia Dei providentis effectus ſunt, hinc eſt jam modo quæſtio de tempore, an ſucceſſive jam immediate fiant, an omnia præviſa ſimul & proviſa? in hoc latet Infinitum, in illo finitum; elige ergo quamcunque ſententiam, quam putes eſſentiæ divinæ maxime convenientem; judicem te poſco.

§ VIII.

Ratiocinia aliquorum philoſophorum de Deo.

Ex his jam videre licet, quomodo ſe torſerint philoſophi uſque ab Ariſtotelis tempore, ut ſibi & mundo philoſophice exprimerent & ſiſterent, quis & qualis ſit Deus; omnes, prout dixi a qualitate ejus indaganda exorſi ſunt; ipſum humanum genus vult quaſi ſibi ima-

imaginari, qualis ſit Deus, vult illum intra rationem & ideas ſuas terminare, & ſic illum finire & figere in aliqua re, per aliquam rem, aut ad aliquid, adeo ut proles rationis & philoſophiæ ſemper fuerit, qualis ſit; & quamvis audiverint illum eſſe infinitum, tamen propter rationem, quæ ſe ſemper terminat intra limites finitos, imaginati ſibi ſunt Infinitum ut finitum, quia nihil abſtracte a finito potuerant percipere. Ergo videmus jam cauſam, unde venerit lapſus rationis, & quæ ſit cauſa lapſus tam penes vulgus quam penes eruditiſſimos. Nam non melius poteſt eruditiſſimus ſibi imaginari, quid Infinitum ſit, quam vulgus & ineruditiſſimi: ſi enim dicam, illum eſſe ſimilem idolo aut homini, vel ſi dicam, illum eſſe ſimilem minimo vel maximo finito, perinde eſt, quum nulla ratio ſit Infiniti & finiti, unde æque craſſum eſt, dicere, Deum eſſe ſimilem minimo finito aut maximo, vel minimum aut maximum eſſe Deum, ac ſi vellem dicere, imaginem illam ſimilem eſſe Deo, vel in illa imagine eſſe Deum; vel prout antiqui, illum hominem eſſe vel futu-

rum

rum esse Deum. Finite loquendo est unum crassius altero, sed coram Deo, quatenus infinitus, est utrumque æque crassum; quia differentia finita non facit dissimile quid in Infinito, sed manet semper idem in ratione, quod respectus nullus sit. Eadem est omnium talium perceptionum origo & causa, est scilicet quod in qualitatem ejus inquisiverit, & quando ultra ire non potuerit, hoc admiratur, & sic agnoscit hoc Deum, quia illud admiratur, petit Deum suum unice ab admiratione, seu ubi desinit ejus ratio aut subsistere debet cogitatio. Unde quum olim simpliciores adoraverint hominem, ideo statim fecerant illum Deum, & aram posuerant, coluerantque ut sui tutelarem; si quis viderit idolum, quod ejus ratione aliquid mirificum exstitisse putaverit, præsertim si aliquid, quod vocamus miraculum, propter admirationem, quia miraculum, causas percipere non potuerant, ergo obstupuerant, & consequenter idolum vel imaginem fecerant suum Deum. Aliqui universum putarant esse Deum, quia in illo tanta & tam vasta vident & conci-

cipiunt, & quia ſenſus & captum videtur aſcendere, vel quia cogitando illud minus minuſque ab illis finiri poſſe viderent, hinc univerſum maximum putarant eſſe Deum, præſertim quum in ſe aucta fuerit admiratio per comparationem cum rebus tam miris & harmonicis in noſtro mundo, qua ſitum, figuram & motum: alii vero omne minimum dixere ſuum Deum, ex eadem cauſa ſcilicet ex admiratione aut ignorantia quale ſit, præcipue quum mediante ratione tale videtur magis & magis ad indefinitum accedere, ſive ad tale quod captum ſuperet: alii crediderant quidem Deum eſſe infinitum, ſed ut qualitatem ejus potuiſſent ſibi fingere, putaverant illum ſe finiiſſe, ſive ſe finitum feciſſe, & ſic mundum creaviſſe; qui ſi putaverint, omnia, quæ in naturalibus ſint, eſſe ex cauſa infinita ſeu ab infinito, & conſequenter hoc reſpectu eſſe opus divinum, non aberraviſſent; ſecus vero, ſi inde concluſerint, finitum & naturam eſſe Deum, & omne ſic in naturæ arbitrio ſtare, ſic fit idem cum adoratione naturæ. Alii putarant ſic Deum eſſe

omne

omne in omnibus, ipsum omne in finito universo esse Deum, nos homines pariter quatenus sumus partes, adeo ut quicquid in mundo est, sit Deus, hoc eodem recidit, quod universa natura sit Deus, est enim simile priori, nam ex simili ratione ortum trahit. Alii ut effugiant omnem dissensum, dicunt Deum esse spiritum sed infinitum, angelos vero & animas esse spiritus sed finitos, sed tamen hoc nec competenter; nam fortassis per spiritum infinitum & spiritum finitum involvitur aliquid simile inter spiritus, vel inter finitum & infinitum, quod posterius per se non admittit simile; vel fortassis, quia non novimus, quales sint spiritus finiti, & quia non novimus, quale sit Infinitum, propter utriusque ignorantiam & sic propter eandem causam, scilicet admirationem ex ignorantia propullulantem, aliquid parallelum volunt statuere, & unum vocare spiritum infinitum, alterum spiritum finitum, sed tamen quia additur infinitus, perinde est, num illum velint vocare spiritum, vel angelum, vel hoc aut illud, modo ei non repugnet, nam copula

copula Infiniti abſorbet omne id, quod finitum & ei appoſitum eſt; adeo ut perinde ſit, an dicam ſpiritus infinitus, vel an dicam Infinitum; ſi enim aliquid finiti in ſpiritu concipitur, fit illud per ſe in reſpectu ad adjectionem Infiniti nihil: at vero ſi velis per ſimilitudinem cum ſpiritibus finitis illuſtrare, quale ſit Infinitum, & ideo vocare illum ſpiritum infinitum, in eundem errorem cum reliquis labereris; nam non agnoſcis in angelis aliquid infinitum, qui creati ſunt: ergo hoc non ſuccedit in eo ſenſu, ſed in alio, de quo alibi. Ex hac cauſa jam venit, quod aliqui ſecundum rationem ſuam voluerint illum intra figuras & formas quaſi redigere, & jam aſſimilare illum circulo, jam triangulo, jam huic, jam illi figuræ geometricæ, quod ex eodem fonte venit, ſcilicet quod ratiocinari voluerint de qualitate Infiniti per ſimile cum finitis, unde ſic quia circulus, qui eſt ſine fine; & in triangulo ei incluſo, quod ibi ſint tres anguli, ſic voluerant ideas ſibi geometrice formare ad percipiendum QUALE in Infinito, non judicant, quod in omni geometri-

metri-

metrico supponatur quale, forma non potest esse sine extenso; si circulus, in illo necessario est centrum, & area, sic respective anguli, partes, & successivum quid ab uno puncto ad alterum, quia linea, seu ad minimum conceptus omnium talium attributorum circuli, & consequenter, quod sit naturale, quia simile geometrico, par ratio est cum triangulo. Omnes itaque, quicunque sint a ratione sua seducti, voluerant Deum per aliquod finitum indagare, & sic lapsi sunt in errorem, & hoc vel illud idolum formaverant Deo suo simile, omnesque hac ratione facti sunt idololatræ.

Sed quum aliqui ex lumine rationis suæ viderint, Deum non esse finitum, illum non esse universum finitum, non esse maximum aut minimum in universo, quatenus finitum est & naturale; hinc altius elevaverant rationem & statuere voluerant, universum hoc naturale non esse finitum sed infinitum, cœlum limitibus non gaudere sed esse sine fine; adjecerant, qua tempus mundum esse æternum & sic etiam sine fi-

ne, prout Ariſtoteles & quidam ejus aſſeclæ, ſicque putarant, ſe Deum aliquem inveniſſe tam finitum quam infinitum; exempli gratia univerſum viderant eſſe naturale, & quantum ſenſus permiſerint, eſſe finitum; ſed putarant, ſi adimerent huic univerſo omnes ſuos limites & fines, vel ſi ponerent illud circulare eſſe, vel quomodocunque idealiter ſibi imaginari poſſent, eſſe ſine fine, ſic exiſtimarant ſe perveniſſe ad cognitionem Infiniti, ſcilicet quod ſit natura ſine fine, tempus ſine ortu; quum enim viderant, in tempore eſſe ſucceſſivum quid, & eſſe per momenta finitum aut diſtinctum, ut hoc redigerent in conceptum Infiniti, dixerant mundum eſſe æternum, tempus eſſe æternum. Sed ſi altius voluiſſent ratiocinari, percepiſſent, quod unum ſit contradictorium alterius; ſi agnoſcunt in univerſo partes, agnoſcunt mere finita, ex quibus conſtat; ſi agnoſcunt in tempore momenta, agnoſcunt ſic mere finita; quomodo jam hoc finitum poteſt eſſe infinitum? quomodo poteſt eſſe ſine fine, ſine ortu? quomodo tale potuiſſet fieri ſine

cauſa?

causa? quomodo tale sine ortu? quomodo tantum universum nisi limites habeat? unaquæque pars suos limites habet, quid non totum? si finitum sine terminis concipere velis, respondebis mihi post aliquam animi volutionem, non posse quin fines habeat, si velis ultra & ultra per myriades, myriadum & myriadum mundos ire, tamen finem habebit; & quia particulatim finitum est, generaliter concludere possumus, etiam fines habiturum esse, sic non potest esse infinitus aut sine fine. Ergo sic etiam hallucinantur, licet non tam crasse ac priores; nam usque affirmant inesse Deo infinitum, quod per finita sic explicare voluerant, statuendo tempus æternum, universum sine fine, & Infinitum finitum, nesciendo quod copula finiti cum Infinito, seu vox copulata finiti plane dispereat, & fiat instar nihil, & remaneat Infinitum solum, & sicfit omne illud finitum nihil, & Infinitum fit solum; quomodocunque enim velint addere aut multiplicare, subtrahere aut dividere Infinitum cum finito, fit usque finitum non ens, & remanet Infi-

nitum ſolum; adeo ut perinde ſit, ſi apponant aliquid finiti vel non, uſque tamen finitum nihil valet, nihil ſignificat, adeſſe & abeſſe poteſt, & ſic Infinitum eſt infinitum, & Deus eſt infinitus, aliter illum exprimere non posſumus.

Quod non putandum ſit Infinitum tanquam nihil, quamvis comparative ſit quaſi nihil.

Sed quum ita de Infinito & ejus quali loquutus ſim, ut nihil fere finite de eo dici aut concipi poſſit; adeo ut quum dicis illum eſſe infinitum in minimis & infinitum in maximis, & finitum eſſe reſpective nihil, vel Infinitum in ratione ad minimum naturale evadere in conceptione noſtra nihil, fortaſſis inde ſic ratiocinari incipis, quod Infinitum quidem ſtatuendum ſit, ſed tamen uſque quod æquet nihil; nam ſi multiplicas (o) cum numero aliquo finito, vel ſi dividas, fit numerus finitus nihil; ſi addas vel ſubtrahas (o), remanet numerus finitus, & abeſſe poteſt (o), adeo ut ſic ſecundum formatum conceptum Infinitum ſit nihil, quia reſpective ad numeros finitos eſt veluti nihil; & eo magis, quum non detur quid ſimile: nume-

rus enim tam exiguus aut tam indefinite parvus esse potest, ut quasi æquet nihil, & quamvis non æquet, tamen usque quid simile habet, & consequenter non est infinitus, quod videre licet in calculo indefinitorum, ubi differentiæ tam exiguæ sunt, ut cum finitis constantibus non multiplicari possint, quin constantes annihilandæ sint, & adhuc minus illarum differentiæ & differentiarum differentiæ concipi; sed quæ tamen usque non sunt infinitæ, quia in se simile habent cum finitis, nam per illarum simile rationale possumus venire ad aliquam indagationem qualitatis in figuris & spatiis; sed tale simile non supponitur in Infinito: ergo mens non aliter concludere potest, quam quod hoc modo infinitum & nihil sit quasi unum & idem. Sed, mi amice! hic etiam finite sentis; quid putas ergo de Infinito maximo? si velis dicere, Deum esse in maximis infinitum, annon sic perit omnis ratio finiti? nam totum universum, qualecunque esse potest, tamen nec est punctulum ad infinite maximum, an ideo potes concludere, finitum tuum esse

nihil, quum tamen ipsi sensus & ratio dictitent, finitum esse aliquid, & in respectu ad tuos sensus tam magnum, ut inde facias indefinitum, præcipue quum concipis universum finitum: ergo per conclusionem argumentari possum, quod ideó finitum non sit nihil, quamvis respectivè ad infinite maximum sit nihil: pone universum finitum, & in illud diffunde & extende cogitationem, & tam late ut usquam possis, & dein extende cogitationem extra universum finitum, & concipe, non modo dari posse tale universum, quantum tibi imaginaris, sed talia universa indefinite, quia in infinitum potes concipere quasi tale quid, ergo inde non potes concludere, universum vel partem ejus esse nihil, quamvis respective ad infinite maximum sit nihil; hinc velim ne te confundas, nec ideo concipias Infinitum tanquam nihil, quia in minimis tibi repræsentatum respective ad finitum & ad finiti simile est ut nihil, quum idem possis dicere de tuo finito respective ad infinitum in maximis repræsentatum; unde concludere potes, sed nequaquam finite,

quod

quod sit infinitum. Accedit adhuc, quum Infinitum sit causa finiti, quod causa esse nequeat, nisi sit; non potest quidquam a causa produci, nisi in causa sit, ut causa possit producere, & quod produxerit primitiva, & consequenter mundum, dictum est: ipsum NIHIL non potest dare mihi causam, ex nihilo fit nihil; ergo sequitur, quod Infinitum fuerit causa, & quicquid in causa est, Infinitum sit. Quod etiam omnia contingentia in finitis tam mire ad unum finem conspiraverint, non aliunde oriri potest quam a causa, in qua infinite intelligens sit, unde in causa ens eminens & in ente infinite intelligens esse sequitur. Liquet etiam inde, quod nexus sit primitivi & causæ, quia quodcunque perfectissimum est in primitivo, hoc infinitum est in causa, sed nexus est infinitus, de quo infra, inde demonstrative concludere licet, dari posse nexum, sed qualem, neutiquam possumus per simile vel per similis simile perscrutari: adeo ut sic concludi possit, in Infinito esse infinita, quæ per finitum concipi nequeant, qualia sint. Conclusio est, quod ex-

tra finitum noſtrum revera dentur infinitates, in quarum notitiam nequicquam laboramus venire; & quod dentur in Infinito tam infinite multa, quæ non poſſunt alii quam Infinito cognita eſſe: quæ ut aliquatenus ab anima per fidem Infiniti participe poſſint concipi, placuit Deo per revelationem multa detegere, per quæ illum mens finite quaſi poſſit concipere & conſequenter exprimere; ſed ita tantummodo, non quatenus perceptiones & expreſſiones finitæ ei ſint ſimiles & adæquatæ, ſed quatenus ei non repugnent.

§ IX.

De nexu Infiniti & finiti primi.

Quum itaque ignotum hoc ſive infinitum in Deo indagaverimus per formationem ſtatus quæſtionis, ſcilicet, per quæſtionem UNDE aut CAUSÆ, adeo ut jam mens humana ſit plane evicta de infinitate Dei; & quod Deus ſit in Infinito vel infinitus; jam ulterius vult quærere, vel QUOMODO hoc fieri potuiſſet, vel QUARE hoc factum ſit? nam Infinitum hoc, quod credit indubie in Deo, ponit jam non tanquam ignotum ſed tanquam notum,

nam

nam quia hoc affirmat, facit illud positivum, quod ſit tanquam non amplius quærendum, ſed quæſitum & inventum, quamvis neſciat, quale ſit ſuum notum poſitive affirmatum; ſed ſufficit, quod amplius hoc non quærat, unde non amplius ei inhæret mens; quum itaque ei non amplius inhæret, non mirandum eſt, ſi ulterius jam ire geſtiat, & inquirere in NEXUM Infiniti & finiti, in nexum cauſæ & cauſati: nam quum mens ratiocinatur, & acquieſcit in uno tanquam non amplius dubitativo, linquit quidem hoc ipſum, nec in partes it, nam novit, quod in partes ire nequeat; ſed jam magis magisque approximat cogitando ad hoc finitum; verum antequam hoc arripit & hoc rimari vult, intermedia primum quærit & ruminatur, num ſit nexus, num aliquid quale poſſit inveniri in nexu cauſæ & cauſati, hoc eſt, in Infiniti & primi finiti? ſperat ſe quidem poſſe detegere qualitatem in primo finito, ſed exſpes eſt, ut qualitatem poſſit detegere in Infinito; ſed ponit uſque hoc Infinitum, ut ſupra dixi, tanquam notum quia affirmativum.

Quum itaque mentem figit in inquirendo nexu, volvit jam animum in Infinitum, jam in primum finitum, ab hoc ſperat ſe detecturum nexum, ab illo vero deſperat, ſtat veluti in bivio, inter aliquid luminis & tenebras, hinc hæret & quærit, annon fortaſſis aliquid luminis poſſit fœnerari ab una parte, ubi eſt finitum, format ſic ſibi ſtatus quæſtionis, aliquos rejicit, aliquos accipit, dum tandem videat alicui ſe poſſe inhærere.

Hoc fortaſſis putas non eſſe inquirendum, ſed acquieſcendum eſſe in illo, quod jam detectum eſt; ſed ſi non acquieſcat, nec fide indubia multa inde conſequentia comprehendere poſſit, antequam hoc dubium etiam ſolutum ſit, quid tunc faciendum? annon cum illo in eandem ratiocinationem intrandum? vel annon per rationem tentandum, ut dubium & nodus evolvatur? hoc eſt, connitendum, ut etiam hoc fiat affirmativum, prout ipſum Infinitum eſt factum; deque hoc nec deſperandum eſt, quum evolutum ſit primarium dubium de Infinito.

Ut

Ut itaque sibi hoc evolvat & enodet, quærit primum, an per rationem sciri possit, num Infinitum sit causa immediata vel num mediata finiti? quum hoc ruminatur & ratio ejus philosophica perscrutatur, videt statim, quod secundum omnem rationem non dari possit aliquod medium inter Infinitum & primitivum, si enim medium seu causa intermedia, vel foret illa causa infinita & sic distincta a primo Infinito, quod contra Infinitum foret, ut sint duo Infinita, unum causa alterius, nisi qua infinitatem sint unum & idem? vel foret causa finita & sic distincta ab hoc finito, & consequenter finitum ut prius; quod foret multiplicare entia præter necessitatem, nam quæritur, num aliqua causa intermedia sit inter Infinitum & primitivum? cogitat etiam, num dari possit causa intermedia, quæ participet de Infinito & finito simul, quod tamen mox rejicit, quum considerat Infinitum, quod finitum vel minimum vel maximum Infinito adhærens foret æquale nihilo, adeo ut debeant esse duo distincta; quum sic videt, quod non dari possit causa intermedia

media vel proxima ab utroque participans, concludit, quod Infinitum ſit cauſa immediata finiti vel primi ſimplicis; ſic venit ad primum quod quærit, nec dubitare poteſt, quin Infinitum ſit cauſa immediata primitivi vel pure ſimplicis.

Quod finale primarium ſit propter infinitum.

Tum altius pergit & quærit, qualis ſit nexus finiti & Infiniti? videt quidem, quod finitum non participare poſſit de Infinito, qua eſſentiam; quia nulla dari ratio aut reſpectus illorum poteſt; ſed vult tamen habere nexum quendam Infiniti & finiti, quia novit unum eſſe cauſam, alterum eſſe cauſatum, & novit, ſi unum ab altero pendeat ut cauſatum a cauſa, quod nexus detur, ſeu in cauſato aliquod principium ſit de cauſa, ſeu cui cauſatum omne ſuum debeat, ergo ponit aliquem nexum eſſe, non nude qua exiſtentiam, ſed etiam qua eſſentiam; niſi enim eſſentia & ejus actualitas dependeret tunc & jugiter a cauſa, non eſſet aliqua eſſentia aut actualitas in primo finito, & quia videt quod ſit, ergo nexum per ſimile vult quærere, ſine

ſine nexu enim nec exiſtere nec ſubſiſtere poteſt finitum ; nam niſi principia in primo ſimplici per aliquem nexum reſpicerent infinitum, viderentur illico annihilari & momento diffluere, & ſimul totum univerſum ; ergo percipit, quod detur nexus, ſed quod non detur nexus perceptibilis, rationalis, naturalis, finiti particeps, ſed videt uſque nexum, & facit jam prout ſupra de Infinito, quod neſciat qualis nexus ſit, quia nexus erit omnino infinitus, ſed tamen ſciat, quod aliquis ſit; hinc per conſequentiam agnoſcit aliquid, quod non melius intelligit, quam ipſum infinitum. Non enim dicere poteſt, eſſe nullum nexum, tunc enim illico periret finitum, quia inde ſuam habet exiſtentiam & ſubſiſtentiam, quatenus cauſam; nec dicere poteſt, quod ſit nexus perceptibilis, quia naturali & rationali modo non eſt: ergo fit concluſio, quod ſit omnino nexus, ſed quod nexus ſit infinitus; affirmatur, ſed neſcitur; ponitur ſine cognitione qualitatis; unde ſic agnoſcit ſuam primam ignorantiam, ut quicquid de infiniti qualitate velit ratiocinari, hoc nuſ-

quam

quam per rationem detegere possit, nisi per inductionem, QUOD SIT.

Quum jam hoc pro indubio ponit, quod nexus aliquis sit, sed æque ignotus, quale est ipsum Infinitum: confirmat se magis & magis in sua sententia, dum quærit, ob quem finem, quare, propter quod, quæ causa impulsiva, quod creatus sit mundus? si plane nullus foret nexus, foret etiam nullum quare, sive nullus finis, nam finis respicit suum principium & primam causam, quam respicere nequit, nisi detur nexus, finium respectus consistit unice in nexu, qualiscunque tunc nexus sit. Quumque causa finalis non potest esse propter finitum primario, adeo ut omnes effectus essent nude propter finitum, & causa efficiens nullum haberet finem propter quem, repugnaret hoc cum infinitate ejus, si enim nexus sit, & Infinitum omnium prima causa, non potest, quin omnia inde successive oriunda per nexum referant se ad primam causam: totum finitum sive universus mundus, respiciet omnino primum sui, in quo incipit, sive in quo termi-

terminatur; ergo causa finalis vel impulsiva non potest esse in mediis sed in ipso fine, nec potest terminari in finitis sed in Infinito, adeo ut omnes causæ, quotcunque concurrerant ad existentiam & creationem mundi, non possint alibi terminari & incipere quam in Infinito, nam quicquid inde prodit, sunt modo causata; nec potest de Infinito prædicari, quod aliqua causa ad creationem concurrens, possit alibi dari quam in ipsa causa, Infinito: si diceremus propter nullam causam sui, sed propter causam finitorum, sic aliquid velle conciperetur sine nexu causarum, aliquid intelligens in velle sine causa, aliquid efficiens ex velle sine causa & fine, quod involvit contradictionem aut aliquam negationem in Infinito; si itaque omne, quod in Deo est, sit Infinitum, erit etiam infinite velle propter causam, prout infinite intelligens est in velle, & infinite efficiens ex velle, adeo ut sine causa nullum principium in Infinito usquam concipi possit: quum itaque in hoc velle sit Infinitum, prout non aliter esse potest, hinc Infinitum erit etiam in

in ipſa cauſa propter quem finem; quæ conſequenter non alia poteſt eſſe quam infinita, & ſic primario propter infinitum, ſeu quod idem eſt propter ſe; adeo ut ſic totum univerſum & finitum non primario propter finitum, homines & animas, ſed propter ſe ſit creatum, alias nullum Infinitum dari poteſt in velle, in quo tamen non finitum ſed infinitum eſſe poteſt: ergo eſt cauſa finalis, ſeu finis, ſeu omnes effectus qui ſunt fines, omnia media quæ in ſe ſunt fines, ſed in reſpectu ad ſequentia ſunt cauſæ, in reſpectu ad utrumque finem ſunt media, omnia ſint propter nullam aliam cauſam finalem, quam propter Deum.

Quum itaque omnia creata ſunt propter Infinitum, & quum ſic cauſa finalis ſit infinita, prout principium aut cauſa prima ſit Infinitum, ut ſic utraque cauſa ſit eadem, utraque ſcilicet infinita, hinc videmus jam, quod omnino nexus eſſe debeat inter Infinitum & finitum; cauſæ & fines non connecti poſſunt ſine mediis, non ſe reſpicere poſſunt ſine nexu, hinc ſit

affirma-

affirmativum eo fortius, quod nexus sit Infiniti & finiti, sed qualis sit, non datum est rationi scire, quia nexus etiam infinitus est. Hinc positio affirmatur, sed qualitas ignoratur.

Sed fortassis aliquis se rationem objiciendi habere putat, hoc involvere, tanquam ultimus finis substantiarum sive ultimi effectus naturales essent infiniti; sed hæc duo tam longe distant prout Infinitum a finito, vel uti loqui solent, ut cœlum a terra: nam primum ens naturale est minimum illud, cujus toties mentionem feceram, primum illud naturale non est Infinitum, sed Infinitum est causa istius entis; quum primum ens naturale sit causa reliquorum entium naturalium usque ad ultimum, hinc etiam ultimum ens naturale non potest esse quam simile, scilicet etiam finitum & naturale, nec infinitum; quumque in primo ente naturali non potest esse Infinitum, quia finitum & infinitum simul unum ens constituens rationaliter non datur, hinc etiam in ultimo ente non potest simul esse finitum & Infinitum, sive

clarius, non concipi poteſt, quamvis ſi diceretur, non repugnaret: unde omnes naturæ fines vel rerum naturalium termini incipiunt & deſinunt in finitis. Sed hic ſermo eſt de prima & ultima cauſa finali, ſive propter quem finem creati ſint hi termini naturales, hæc cauſa prima non poteſt eſſe niſi in Infinito, nam cauſæ nihil naturale ineſt, ſed naturale incipit ineſſe primo enti a cauſa producto, unde voluit, ut naturalia ſint media ad talem finem; ergo non poteſt ultimum finale talis cauſæ conſiſtere in pure naturali, ſed in connexione ejusdem cauſæ per media naturalia, & ſic primus & ultimus finis ſe connectunt, & conſequenter ſunt infiniti ſive pro infinito: hinc ut media naturalia poſſint conſpirare ad illum finem, tendunt illuc omnia, & quia homo eſt ut medium ejus, hinc etiam ille fit particeps ejusdem finis, non tanquam finis, niſi ſecundarius, ſed tanquam medium; ſed de his latius in ſequentibus.

§ X.

Sic jam pervenimus ad alterum nostrum ignotum, & hoc pariter per ratiocinationem, adeo ut non ideo desperandum sit, quin ad ignotissimum perveniri possit per rationem, quamvis non simul liceat venire ad cognitionem qualitatis; sed usque tamen eo perventum est, quod credamus, nexum aliquem esse Infiniti & finiti, sed non nexum naturalem, nec mechanicum, geometricum aut physicum, sive alium quempiam, qui similitudinem trahat a qualitate finiti; novimus sic, quod nexus sit, sed qualis nexus, nos omnino latet; adeo ut jam inter affirmativa & positiva hoc etiam assumi possit: pariter etiam alterum, quum sit nexus, quod omnia se referant ad primam causam per nexum; & quod causa finalis primaria sit unice propter causam primam, adeo ut uterque finis sic conveniat in eo, quod omnia sint facta & creata propter Infinitum: ergo jam ulterius progrediendum est, & videndum, an aliquid amplius per tenorem ratiocinationis possit detegi.

Quod nexus sit, & quod finale creationis sit Infinitum.

Videamus tamen prius, an aliunde etiam liceat ſcire, quod nexus ſit, quam pure ex ratiocinatione: ſi exempli gratia jam alius mihi diceret idem, quod ipſe per rationem detexeram, cogitare omnino debeo, quod ille hoc detexerit per idem filum ratiocinationis, per quod ego; ſi aliquis mihi hoc idem dixerit, & adhuc plura adjecerit, quæ coincidunt cum eodem, ſeu quæ magis confirmant idem, credere fas eſt, illum adhuc ſublimius, diſtinctius & acutius ratiocinatum eſſe, quia non modo vidit & concluſit idem, ſed etiam plura ſuperaddidit, quæ mihi quidem incognita eſſent, ſed quæ nullatenus repugnarent, & ideo magis ad credendum adducor; unde etiam mens, quæ hallucinari non vult, arripit etiam illud, quia conveniens eſt cum ratiocinatione, ſed etiam illud, quod ſuperadditur, quod ſcilicet non ei videtur repugnare.

Sed fortaſſis quæris, quorſum cum his tendis; quomodo jam aliquid plus affirmativum deſideras? ſed velim tantummodo inducere, ſi aliquis mihi hoc idem

idem diceret, annon ei credendum ſit, ad minimum quia ipſe mihi credo. Jam videre licet, annon ipſe Deus aut Infinitus hoc ipſum nobis revelare voluerit, dicit enim, ab æterno peperiſſe filium aut unigenitum, & unigenitum eſſe Infinitum & eſſe Deum, & nexum eſſe finiti & Infiniti per unigenitum infinitum & Deum, & patrem & filium eſſe unum Deum, utrumque infinitum, utrumque creatorem univerſi finiti; in creationis opere utrumque concurriſſe: ſed tamen ita diſtinctos eſſe, ut ille ſit pater hic filius, ille prima perſona, hic altera, ſicque ut qua nomen patris & filii, & qua nomen perſonæ &c. ſint bini, ſed qua infinitatem & divinitatem ſint unum & idem: ſic habemus heic ſimile quid, quod ratio dictaverat, quod ſcilicet nexus ſit finiti & Infiniti, quod cauſa finalis ſit Infiniti, ſed per illum nexum, quod per filium ſit nexus Infiniti cum finito, & per nihil aliud; ergo ſic habemus concordantiam revelationis cum ratiocinatione.

Sed fortaſſis aliqui philoſophice hinc rurſus inducere velint, quod inde ſequatur, Deum ſic mediate non immediate creaviſſe finitum univerſum, ſi enim nexus ille finiti & Infiniti ſit in unigenito, unigenitum eſſe ipſiſſimum illud medium, per quod creatum ſit univerſum; ſed quæſo cur ita naturaliter ratiocinari velimus, cur ita finite? videmus jam, quod nexus ſit, quod nexus ſit infinitus, quod Infinitum non poſſit diſtingui prout finitum, adeo ut nec applicari hic poſſit, quod ſint duo Infinita, quod ſit diviſum Infinitum, quod unum Infinitum per alterum quid fecerit, nam ſic iterum quale aliquid deſideraremus in Infinito, in quo nihil quale inveniri poteſt ſimile prout in finitis, hinc nec termini finiti, nec rationes aut perceptiones finitæ locum habere poſſunt: ſi dixeris, per filium eſſe nexum Infiniti & finiti, & ſi addideris, filium ſeu nexum eſſe Infinitum, perinde eſt ac ſi ſtatim diceres, Infinitum eſſe cauſam immediatam aut proximam creationis finiti, nam unum Infinitum non potes facere prius & propius, alterum poſterius & remo-

remotius, & imaginari aliquod medium tanquam finitum, quum Infinitum non dari possit nisi unum; ergo Infinitum est causa proxima & immediata finiti, quum filius sit infinitus; sic perinde est, si dicas, patrem esse causam immediatam creationis finiti, vel si dicere velis filium esse, nam, ut sæpius dixi, Infinitum non potest admittere distinctiones finitas aut naturales: si dicas itaque, exstitisse finitum mediate per filium, eodem res recidit, ac si dixeris, finitum exstitisse immediate per patrem, vel immediate per filium, quum utrumque est Infinitum, & Infinitum est causa immediata finiti; sic poteris mille modis per verba finitum exprimentia ludere, pariter ratione, nam non possumus nisi finite loqui & ratiocinari. Si vero dixeris, quod nexus sit Infiniti & finiti per Infinitum, & sic nexus Infiniti & finiti per filium quatenus infinitus, vix credo quod aberres. Sic quocunque te vertis, nusquam aliud quid ex ratione extundere potes, quam quod nexus sit infinitus, & quod sic coincidat cum revelatione, per utrumque immediate exstitisse mundum.

§ XI.

Quod homo ſit ultimus effectus in mundo, per quem obtineatur finale divinum.

Sed quia jam rationem tenemus in hoc nexu, ne ita plane relinquamus illam jam huic quaſi immerſam & obſtupeſcentem, quia innumera perpetuo ignoranda videt, velim itaque ulterius ei me comitem ſiſtere, & ſecundum meam rationem viam monſtrare, quousque in hæc myſteria iri poſſe videatur, & ubi neceſſario ſubſiſtere debeamus. Dixi ſupra, quod per rationem eo uſque ire potuerimus, ut inde ſcire liceat, quod ſit Deus, quod Deus ſit infinitus, ſed non eo uſque, qualis ſit Deus, vel quale ſit Infinitum; dixi etiam, quod ratio tandem per inductionem videre poſſit, quod ſit nexus, & quod nexus ſit infinitus, ſed quod non ſcire poſſit, qualis ſit nexus, quia infinitus: ergo videndum, annon circa hæc adhuc plurima exiſtant, ad quæ per rationem ire liceat, & ſcire quod ſit, non vero quale ſit; quum evincitur mens de quæſtione An, dein inquirendum eſt, qua ratione quæſtio Quale aliquatenus illuſtrari poſſit, ſed adhuc hujus loci non eſt; quia quæſtiones An prius nobis dabunt plura data affir-

affirmativa & positiva, ex quibus aliquot datis dein quæstio qualitatis aliquatenus poterit elucescere.

Dictum est supra, quod causa primaria finalis sit Infiniti sive propter Infinitum, & quod per finita obtineatur illa causa finalis; nam si finale quid sit, sive causa propter quod, quæ præsupponit causam impulsivam, tunc erunt fines, primus & ultimus; finis, qui sit primus & ultimus, non datur nisi per tale, quod habet primum, intermedium & ultimum; quum sic finalis causa non obtineatur nisi per fines, sequitur inde, quod obtineri nequeat, nisi per tale, quod habet fines, hoc est, per finitum, sive per mundum quatenus est finitus; ergo si unice per fines & terminos, hinc erunt duo fines finiti, primus & ultimus, ut taceam intermedia, de quibus copiose alias: de primo fine naturali dictum est, quod sit primum illud creatum minimum, seu exiguissimum naturale, seu simplex mundi; linquamus jam intermedia & statim transeamus ad ultimum finem naturalem, per quem obtinebitur illud finale,

nale, quod quatenus respicit suam causam primam, est Infinitum, adeo ut causa finalis sit infinita, & sic eadem in fine primo quæ in ultimo, & sic causa prima & ultima concentratur in hoc, ut sit propter Infinitum.

Quæritur ergo jam, ubi aut quis sit effectus ultimus in naturalibus aut finitis, per quem ultimo obtineatur illa causa finalis? dico in nostra tellure esse hominem: non enim diffundere velim mentem in reliquos mundos, an dentur, quot dentur, an in illis tellures, an etiam in illis sint effectus ultimi, per quos obtineatur illa causa finalis? negare & affirmare possumus, perinde est, quia non hujus est loci, aut hoc facio jam ut quæstionem, sed loquor de nostra tellure, & dico, ibi ipsum hominem esse ultimum effectum, per quem obtineatur finale Infiniti: velimus jam inquirere, an effectus illi ultimi sint homines, vel an sint angeli, si quos credis, vel an sit aliud quid? effectus primus jam non negatur, quin sit illud minimum naturale, seu semen aut primitivum naturæ;

turæ; eamus jam ulterius, ut ultimus effectus obtineatur, erunt intermedia, in intermediis non poteſt eſſe ultimum, quia hoc foret contra ipſiſſimam rationem, non poſſunt ſic elementa eſſe ultimi effectus, nam ſunt intermedia, ut poſſit effectus ultimus inde exiſtere; non poteſt æther, aer, ignis, aqua, nam ſunt modo media & pariter inanimata, nondum datur aliquid, quod ex illis ut vivens & intelligens compoſitum eſt, unde non posſunt eſſe ultimi. Ipſa tellus cum ſuis vegetatis non poteſt eſſe ultimus effectus, nam in ultimo effectu concurrent omnia media, quæſo, in quem finem media, niſi ut conſtituant ultimum, nec poteſt finale obtineri niſi per ultimum; per media quidem obtinetur, ſed non aliter ac per media ad hoc ultimum, unde nihil eſt in toto mundo, quod non conſpiret ad idem finale, quod ut obtineatur, conſpirare debent omnia ad illum ultimum effectum, in quo ſic finale exiſtere poſsit; ergo videmus jam in prædictis aliquid adhuc non eſſe, aliquem ſcilicet effectum ultimum. Veniamus

niamus ad hominem, videndi gratia, num omnia conſpirent, ut ſit ultimus effectus, per quem obtineatur dictum finale divinum; in illo videmus omnia reliqua tanquam media concurrere, elementa cujuscunque generis ad vitam ejus, ad ſenſus, ad ratiocinium &c. ſint elementa qualiacunque velis, erunt uſque ſubtiliora & ordine craſſiora, ſine quibus nec vitam ſuam trahet corpus, & motum aut motus origines, ipſæ partes corporis ſubtiliores; ad minimum concurrunt elementa ſubtiliora ad producenda vel movenda elementa craſſiora, nam nihil poteſt ſine cauſa moveri & ſine principiis ab aliis tractis; ſique hoc ad vitam hominis contribuat, ſunt uſque elementa ſubtiliora ut media, & conſequenter ſic conducunt & tendunt ad ultimum hunc effectum edendum: ſis philoſophus qualiſcunque velis, ſi ultimum elementum concurrat, & ſubtiliora concurrant ad illius exiſtentiam aut ſubſiſtentiam, & hoc ultimum concurrat ad effectum aliquem edendum, ſequitur per nexum, quod omnia concurrant ad illum effectum edendum; ſed videmus per ſenſus,

fas, quod fere singula concurrant; videmus, quod aqua, quod ignis, quod partes terrestres; ex illis enim nutritur homo, ex illis componitur, illorum ope fit sanguis ejus liquidus, & reliqui succi, ex illis calor; ex aere obtinemus auditum, ex æthere visum, nec velim adhuc ultra ire & demonstrare, quod subtiliora elementa concurrant etiam singillatim pariter junctim: ergo non possunt elementa vel mundus elementaris, non possunt partes terrestres vel ipsamet tellus, non possunt vegetata esse fines, quia omnia hæc concurrunt ad componendum & sustentandum aliud finitum tanquam ultimum. Si opponas, dari fortassis in natura finita occulta innumera alia, ut animas, angelos &c. quæ fortassis non concurrant; sed dico etiam in subtilissima natura nihil dari posse, ne quidem angelos, nisi ut in homine concurrant, non quidem ad hominem componendum, sed ut in ultimo illo effectu seu in homine obtineatur finale divinum.

Sed arbitrari potes, quod ex prædictis jam tantummodo illud constet, quod homo sit ultimus effectus naturæ qua existentiam, quia hoc modo dici poterit, quod reliqua animalia etiam sint ultimi effectus, nam in illis similis compositio esse videtur, similes sensus & similis mechanismi organa, ad quorum compositionem pariter concurrunt omnia prædicta; quæritur ergo, quomodo statui possit, quod homo sit ultimus effectus, per quem finis obtineatur, quum talis ultimus effectus secundum rationem sensuum externorum videatur etiam similis esse in reliquis animantibus? Sed eamus ultra; in ultimo hoc effectu non pure erit machina, per talem non obtineri potest finale divinum; si obtineri posset per pure machinam, dici tunc posset, quod totum universum esset ultimus effectus, pura machina non potest nisi tanquam medium concurrere ad effectum ultimum; sed hic requiritur, ut in machina ultima sit aliquid plus, sit non mere passivum, sed aliquid ultra agens, scilicet aliquid efficiens & contribuens ad illud finale, non enim existit per se

aut

aut ex ſola machina, niſi ſit in illa aliquid, cujus ope machina poſſit concurrere ad finale illud ſiſtendum; fere ut in machina vulgari, in qua non conſiſtit vis & potentia, ſed in ejus mechaniſmo: ſic in effectu ultimo mechanico aut materiali mundi requiritur, ut ei ineſſe poſſit tale ſi non agens & efficiens, tamen uſque admittens, cujus ope machina poſſit agnoſcere & cognoſcere Deum; ergo erit aliquid, quod comprehendat tale, quod poſſit agnoſcere tale, utque agnoſcat ſine dubio & credat eſſe tale Infinitum; ſine tali potentia & qualitate non concipi poteſt effectus ultimus, in quo ſit finale divinum: hoc non datur in animalibus, in quibus nulla talis comprehenſio eſſe poteſt: ergo ut ſit tale requiſitum in ultimo effectu, erit medium, ut tale adeſſe poſſit; erit non modo corpus, ſed etiam anima, nec modo anima, ſed etiam conjunctio animæ & corporis, & conſequenter homo rationalis; hinc datum eſt homini rationale per animam & corpus ſimul, ut finale hoc obtineri poſſit. Ergo ſic vides, quod homo ſit ultimus

effe-

effectus in nostra tellure, per quem finale divinum obtineatur.

§ XII.

Ex his jam videre licet, quod ultimus effectus naturæ sit homo, ut obtineatur finale divinum, quare mundus creatus est; & nisi in ultimo hoc effectu se counire possit causa finalis prima & ultima, sive impulsiva & finalis, adeo ut una eademque sit in utroque fine, sive ut nexus sit Infiniti cum ultimo prout est cum primo, nulla foret causa finalis, minus causa finalis propter Infinitum; ergo huic ultimo effectui seu homini inest ipsissima causa finalis creationis. Sed si finale hoc in finito respicere possit causam primam, erit aliquid in finito, quod participare possit & quod participet de divino seu de Infinito; nisi in effectu ultimo finito sit aliquid divinum & Infinitum, non posset Infinitum habere causam aliquam finalem propter se in finito. Sed hic fortassis arrigis aurem & quæris, quomodo jam distinguam & contra principia & rationem loquar, quomodo potest finitum

tum aliquid Infiniti possidere, quum nulla ratio illorum dari possit? sed quiesce aliquantum; dico, quoniam finale creationis est pure divinum & consequenter infinitum, & finale obtinetur tantummodo jam in hoc ultimo effectu seu homine; ergo sequitur secundum omnem rationem, quod in homine aliquid divinum vel capax divini esse debeat, alias finale non obtinetur; sed audi jam, in quo consistat hoc divinum aut infinitum, non in eo, quod homo animal sit & gaudeat sensibus, per quos delitiis mundanis frui possit, nec quod anima gaudeat, quia illa est finita, quæ nec in se aliquid infiniti habere potest, consequenter quod nec consistat in ratione, quæ est effectus animæ & corporis cooperantis, nam quum tam corpus quam anima sint finita, effectus ille ex utroque nec potest esse alius quam finitus, ergo nec in ratione, unde adhuc nihil divinum videmus in homine; quæris ergo, ubi jam hoc divinum? quod tamen necessarium est, ut obtineatur finale divinum; adesse debet in subjecto, si prædicari possit: sed us-

que tamen per rationem illuc venire possumus, ut sciamus, in quo consistat divinum illud; scilicet in eo, quod agnoscere possit & agnoscat Deum, quod credere possit & credat esse Deum infinitum, quamvis nesciat, qualis sit, usque tamen quod possit agnoscere & agnoscat quod sit, & hoc sine ulla dubitatione; & præcipue quod per hanc fidem sentiat in amore aut voluptate ex amore resultante quendam nexum cum Infinito; si sit dubitatio, non agnoscit, non est divinum; ex hoc fonte dein venit omnis cultus divinus, de quo alibi, quia vastissimi operis est, sed revelatum habemus: hinc ipsissimum divinum in homine aut ultimo effectu, in quo sit finale divinum, est ipsamet agnitio Dei & infinitatis in Deo, & sensus voluptatis in amore erga Deum; in hoc jam consistit divinum ejus; quod nequaquam potest obtineri, nisi corpori ejus sit ex puriori & perfectiori mundo data anima, & per commercium utriusque fluens ratio, quæ concludere potest ex se, ex effectibus, & ex unaquaque parte mundi, esse Deum & illum esse infini-

finitum, licet hoc per ſe non poſſit efficere, quatenus homo cum ſuis partibus & anima eſt finitus, ſed quod poſſit idoneus recipiendi eſſe, & quantum in finitis eſt, ſe una diſponere ad recipiendum. Sic videmus, quomodo finale obtineatur per ſolum hominem, non per ullum aliud creatum, niſi ſit tanquam medium, ut ultimus effectus, & in illo finale exiſtat: unde fundamentum omnis cultus divini eſt agnitio Dei, & fides in agnitione.

§ XIII.

Objectio, quod non in effectu ultimo ſit obtentum finale divinum.

Sed mens in hac cogitatione ſubſiſtens, non poteſt quin ſe volvat in plurima, & ſecum ita primum ratiocinetur; ſi hæc fuerit cauſa impulſiva creationis, vel quod idem eſt, ſi fuerit cauſa finalis in Infinito, & ſi homo ſit ultimus effectus ad finale divinum obtinendum; quum inquam ſit talis cauſa in Deo, & tamen videmus Infinitum ſuam cauſam non obtinuiſſe; exinde inducit, ſi non obtinuerit, annon hoc involvat imperfectum quid, & conſequenter finitum quid, annon hoc ſit quaſi deſtruens infinitatis Dei in cau-

ſa? nam ſi finis non reſpondet cauſæ, ubi tunc Infinitum eſt in cauſa? in ultimo hoc effectu nec videmus ullum finale divinum eſſe per ſe, quomodo jam reſpondes?

Sed antequam hic nodus ſolvatur, neceſſum eſt, ut repetamus noſtra principia, & inquiramus in noſtrum primum finitum, antequam ulterius progredi liceat: jam non negatur, quin Infinitum ſit cauſa finiti, nec etiam quin finitum primum ſit perfectiſſimum ſeu perfectiſſime finitum; nam ab Infinito immediate nihil prodire poteſt, niſi quod perfectiſſimum ſit, ſed quod finite perfectiſſimum ſit: non enim dari poteſt, prout ſupra dixeram, aliquid infinite perfectum, niſi ipſe Deus; nec aliquid dici poteſt infinite perfectum, quin delenda ſit vox aut copula perfectum, ut remaneat nude infinitum, quod eſt Deus; ergo non dari poteſt aliquid infinite perfectum præter Deum, ſed dari poteſt finite perfectiſſimum, quatenus proxime & immediate venit ab Infinito, ſed eſt finite perfectiſſimum, & ſic in illo pu-

re

re finitum, nec hilum quidem infinitatis: ab Infinito enim nihil prodire potest, quam perfectissimum, nec in primitivo aliquid esse, quam perfectissimum, quia immediate ab Infinito prodiit, ratio est, quia si nexus sit, tunc quicquid in primitivo est perfectissimum, hoc in causa est Infinitum; sic nec datur aliquid in primitivo, quod non traxerit ut perfectissimum ab Infinito; perfectissimum primitivi in innumera quasi distingui potest, in quibus scilicet perfectissimum consistat, quæ omnia in causa sunt infinita, & quæ sic non repugnant, ut ei finite tribuantur, quamvis nulla detur ratio vel nullum simile. Ponatur itaque jam, quod illud primitivum sit finite perfectissimum, ut perfectius dari nequeat, & videamus, an omnia sequentia vel derivativa possint esse etiam finite perfectisfima, vel an primitivum hoc solummodo possit esse finite perfectissimum? Ut jam juvetur conceptus noster, velim statim unam partem perfectionis seu status perfectissimi assumere, & ei tantummodo inhærere, missis aliis, ne diffundamus animum; ex-

empli gratia omnia minima & simplicia vel naturæ primæ, & ab Infinito immediate producta sunt finite perfectissima; & quia finite perfectissima, sunt etiam omnia simillima; omne finite perfectissimum non potest in se dissimile admittere; si admitteret dissimile, non potest esse perfectissimum, sed deesset aliquid in perfectione, adeo ut in illa summum esse nequiret; ergo ponatur jam, primitiva illa fuisse simillima, quia perfectissima sive perfectissime similia. Veniamus jam ad sequentia & derivata; si aliquid a primitivis perfectissime similibus per derivationem prodeat, adeo ut plura simul producere debeant compositum; annon statim modi erunt? nisi per modos, nihil potest componi; ponam etiam primum modum a primo perfectissimo venientem etiam perfectissimum; nam essentia perfectissima & simillima non potest modum aliquem producere, vel aliud quid per modum producere, nisi modus ei immediate quasi adhærens, sit priori suo similis; sint ergo primi modi etiam perfectissime similes; contingentia etiam concurrent,

current, antequam per modos aliquid produci posſit. Videamus jam, an per modos & contingentia, finite & rationaliter loquendo, posſit derivari aliquod perfectisſimum a primo perfectisſimo? dico quia finite perfectisſimum eſt, quod non posſit; quodque hoc ſit contra definitionem & conceptum finiti; ſi ſcilicet compoſitum finitum per finita amplius & amplius finiendum ſit, ſique fiet hoc per modos & contingentia; ponatur etiam, contingentia & modi latuiſſe in perfectiſſimo illo primitivo, & fuiſſe in ſe etiam perfectiſſima, non ſequitur tamen inde, quod contingentia, modi & ſubſtantiæ derivatæ posſint eſſe perfectisſima; ſi enim omnia a primo ente ad ultimum forent æque perfecta, hoc eſt, perfectisſima, tunc non foret finitum, ſi finitum eſſe debet, etiam in perfectionibus ſeu in illarum ſerie erit majus & minus, ſucceſſivum & gradus, ſine gradibus datur nullum finitum, quod finitum dici poteſt; in omnibus derivativis vel ſucceſſivis, ſi ſemper æque perfectisſimum eſſet, non eſſet finitum qua perfectionem, quia nulli

gradus essent, & nihil quod dici possset perfectum, perfectius, perfectissimum, sed foret simul sumtum in illo respectu seu abstracte a substantia infinite perfectissimum, quod idem est cum Infinito; ergo quia est finitum, & essentia finiti consistit in eo, quod gradus agnoscat, quod successivum agnoscat, quod substantiale derivativum agnoscat, & reliqua quæ non possunt separari a finito, quatenus est finitum; hinc omnino in derivatis tam per modos, quam per contingentia non potest in ipsa similitudine dari semper idem simile, sed dari debet per gradus minus & minus in simili: ergo quum ponitur unum, scilicet quod fuerit finite perfectissimum, ponetur etiam alterum, quod in perfectione dari debuerit finitum & gradus; unde successive per derivationem fit minus & minus perfectum, minus & minus simile perfectioni in primitivo: non enim datur finitum, quod non alios status in se successive admittet, nisi foret Infinitum, quod unice alios status in se agnoscere non potest.

Ex his etiam ſequitur, quod, quo propius aliquod derivativum eſt ſuo primitivo, eo perfectius eſſe debuerit, nam finite perfectiſſimum fit ſucceſſive minus & minus perfectum: velim iterum in exemplum vocare illud perfectiſſimum ſimile in primitivo, hoc ſimile non poteſt eſſe perfectiſſimum in derivativis, quia finitum, quia finitur magis & magis per modos & contingentia, dum fit compoſitum; ergo non ſimile tandem exiſtere poteſt in derivativis ſcilicet abſolute ſimile, perfectiſſime ſimile; cujus ipſa experientia & natura eſt teſtis, quod in derivativis tandem detur nihil alteri abſolute & perfectiſſime ſimile; adeo ut dici poſſit, nihil in derivativis dari unum alteri abſolute ſimilare: ſumme quodcunque naturale compoſitum velis. Ergo non perfectiſſimum dari poteſt in derivativis, quatenus finita ſunt, & quatenus infinite perfectum in finitis dari nequeat: unde etiam, quicquid imperfectum vel minus perfectum datur in natura, hoc trahit immediate ortum a finitis, ab Infinito trahere ne-

quit aliud, quam quod ſimillimum, perfectiſſimum & puriſſimum eſt.

Tranſeamus jam ad hominem ſive ad ultimum effectum naturæ, & videamus, annon jam in illo dari poſſit aliquid finite perfectiſſimum vel non? dico, quatenus eſt ultimus effectus naturalis, quatenus ex omnibus intermediis compoſitus eſt, & quatenus eſt finitus & tam multipliciter finitus; & quatenus anima per obedientiam corporis fieri poſſit ſimilis corpori, quod, inquam, in illo dari nequeat finite perfectiſſimum; hoc eſt conſequens priori; nec ſcio, annon hoc etiam pro axiomate aſſumi poſſit: ſcilicet quod dari poſſit in illo perfectum, ſed neutiquam perfectiſſimum naturaliter loquendo; ſed quod hoc unice exſtare poſſit in primitivo.

§ XIV.

Quod Deus prævideret & ſimul provideret ut finis primarius obtineretur.

Sed quæritur jam, quomodo poſſit finale divinum obtineri, niſi ultimus effectus naturæ ſit ſimilis primo naturæ? Si enim finale divinum obtinendum ſit per finitum, illud neutiquam

poterit

poterit obtineri, nisi jugiter in omni serie sit perfectissimum, ut omnia sic conspirent ad finem hunc divinum & infinitum; sed ne moveamus adhuc hanc quæstionem, sequetur mox; ad minimum sequitur, quod omnia media ad talem finem non conspirare possint, nisi etiam in perfectione sint similia primo; sed sufficit dicere, quod non dari possit naturaliter.

Hoc dum non potuit quin Infinitum prævideret, & quia finale erat divinum & infinitum, nec potuit, quin simul provideret; nam quatenus finale est Infinitum, & quatenus ipse infinitus est, non potest ejus PRÆVIDERE & PROVIDERE distingui, sed unum & idem repræsentat, si enim distinguerentur, statim foret aliquid finitum, ergo prævidentia & providentia simul fuere ad finale hoc obtinendum; videamus jam, quale fuerit hoc PRÆVIDERE & PROVIDERE simul sumtum; hoc videmus jam finite ab effectu: quum enim corporeum in homine non perfectissimum existere potuisset, quatenus finitum, sed tam longe derivatum & distans a

primo

primo perfectissimo, ergo prævideràt; hoc non dari posse, quatenus esset finitum, scilicet ut corpus seu ultimus effectus esset perfectissimus; ideo providerat hoc statim per animam, quæ data est rationalis, & summe rationalis, & quidem perfectissima, ut illa posset regere corpus; anima, quæ simul posset imperare omnibus corporis partibus; anima sine qua corpus nihil posset agere, quæ sic posset disponere totum & partes ad suum nutum; anima sine qua nihil posset in voluntatem mitti; anima sine qua nihil velle vel nullum agere prodiret in corpore & e corpore; hinc videmus in his providentiam; scilicet ut anima summe rationalis & perfecta ei daretur, quæ regere posset corpus ita, ut totum corporeum cum omnibus ejus partibus tenderet unice ad illum finem seu ad finale divinum; cui ideo simul obsequium totius & partium per nexum ejus cum corpore perfectissimum subjectum est; ut sic anima corpus suum per se minus perfectum faceret sui simile, seu minimo suo naturali simile & perfectissimum.

Per animam datam corpori.

Et

Et quia anima, licet finita sit, tamen usque primo illo perfectissimo similior & propior; nam omnis dissimilitudo a remotione & derivationum serie unice profluit, & fit minus & minus perfectum; quumque anima sit propior perfectissimo, non potuisse videtur, quam sibi relicta, ut purius spiraret ad illum finem, & sic quod sibi relicta (loquor de primi hominis anima) vellet ipsum corpus ad similitudinem sui regere, quia regimen habuit, quatenus nihil agi potuisset, nisi illa conscia & conspirante: sed quia non sola, sed conjunctim cum corpore, regeret voluntatem, non potuit quin animæ nisus non esset plane idem & simillimus cum nisu corporis; quum voluntas penderet a ratione, & ratio ab anima & corpore simul, hinc unum debuit regere alterum, aliter si voluntas unice penderet ab anima sine societate corporis. Sed hic foret amplissimus campus exspatiandi in disquisitionem de libera voluntate hominis & primi hominis in rebus mundanis, ut & de animæ & corporis consortio conspirantium simul in voluntatem, quæ hic super-

ſuperſedere velim, ne turbetur nexus; volo tantummodo filum noſtrum continüare, nempe quod infinitum numen præviderit & providerit, ut omnia ad finale divinum tenderent per animam imperaturam corpori, & voluntates una recturam; cui ſic data eſt directio perfectiſſima ad illud finale primarium in primo homine.

Sed fortaſſis aliquis urgere vult, & dicere, quum ſummum numen præviderit & providerit, quod anima data homini non potuiſſet ad ſuum nutum & ad illum primarium finem prorſus diſponere omnes partes in corpore, ſed quod ſuccumberet corpori, & quod prævaleret actio corporis in voluntatem, adeo ut ſic periret omnino finis primarius: quum itaque præviderit hoc omniſcius & omnipotens, quærere aliquis fortasſis inſtat, cur tale corpus ei dederit, cur talem animam, quæ non potuiſſet regere corpus, cur effectum ſuum ultimum produceret talem, ut laberetur? quæ omnia arguere putat fuiſſe effectum ultimum non Infiniti ſeu pro Infinito. Specioſa quidem obje-

objectio eſt, ſed quum hoc Infiniti cauſa non ſit, præcipue quum omne primum fuerit finite perfectiſſimum, & finite loquendo, quum omnia media ad illum finem conſpirantia data ſint, adeo ut homo ille potuiſſet, ſi voluiſſet; nec quicquam de perfectione finita decedit, ſi dixeris, omnes in homine partes perfectiſſime conſpirare potuiſſe ad illum finem, ſi voluntas unice regi potuiſſet ab anima: & quia non dari poteſt anima in effectu ultimo, quæ ſola eſſet, & ſine conſortio corporis ſola ageret, & ſola regeret voluntatem, tunc non illud obtineri potuit, ut totus effectus ultimus ſimilliime & perfectiſſime qua omnes partes illuc ſpiraret, ſimiliter quod talis effectus ſine conſortio animæ intelligenter vivere poſſet; nam ſine conſortio utriuſque nec finis obtineri potuit, quatenus obtineretur in ultimo effectu: ſed de his melius, quum prius actum ſit de mechaniſmo animæ & corporis, & utriuſque regimine, deque voluntate, de quibus in ipſo opere.

Sed

Sed texamus telam noſtram, ne rupta impediat mentem videre tenorem prævidentiæ & providentiæ divinæ; quum enim prævidiſſet, ſimul etiam providerat; ſcilicet quod corpus ſine anima rationali non eſſe potuiſſet medium quoddam ad finem primarium, hinc providerat, ut daretur corpori anima ſumme rationalis, ſive ut utrique ſimul ratio, ut ſic poſſet homo agnoſcere Deum, & fieri medium ad illum finem: his jam datis & connexis, præviderat etiam corpus imperaturum eſſe animæ, vel voluntatem utrique communem potuiſſe obſequi corpori magis quam animæ; præviderat etiam, quod ipſa voluntas obſequeretur magis corpori quam animæ, tunc ſimul adeſt providentia, quomodo nihilominus finis ille primarius obtineretur, ergo providit, ut etiam ab illa parte nexus eſſet finiti cum Infinito, ut in ultimo effectu pari modo eſſet nexus prout in primo effectu, de quo ſupra actum eſt; prævidet, quod nexus non eſſe potuiſſet finiti cum Infinito, niſi eſſet infinitus; cujus conſequens eſt, quod nexus eſſe debuiſſet ultimi

Per filium unigenitum, qui induerat effectum ultimum.

ultimi effectus seu hominis cum Infinito per Infinitum, ut sic finale divinum obtineretur. Jam per lapsum & imperium corporis in animam ruptus est nexus, ut finale divinum non sequeretur; ne tamen hoc fieret, providet per infinitum unigenitum, ut ipse indueret effectum ultimum mundi, sive hominem & ejus figuram, ut sic infinitus esset in & cum finito, & consequenter ut nexus per illum redderetur inter finitum & Infinitum, ut obtineretur finis primarius. Sic videmus, quod omnia conspiraverint ad illum finem primarium, quod ideo data sit homini anima, quod per illam rationalis factus sit, & quod diviserit & simul sociaverit imperium in voluntatem cum utroque; quumque previderet, hoc non successurum esse, providerat per nexum Infiniti cum ultimo illo effectu vel cum homine, qui sic factus est ultimus effectus & simul Deus & homo medius inter finitum & Infinitum; quod sic per eum & nexum cum illo unice essemus effectus ultimi ad illum finem; quodque sine illo nullus foret nexus hujus ultimi cum Infinito,

& quod per illum in nobis aliquid divini esse possit, quod scilicet scire possimus & credere, esse Deum & illum infinitum; per quem, intercedentibus mediis, perducimur ad verum cultum, ut simus Dei, non mundi: sed qualis sit nexus, hujus loci non est inquirere; modo habeamus positivum, dari per filium nexum inter finitum primum ac ultimum & inter Deum, & nexum esse infinitum in ultimo prout in primo, de quo supra.

Sed fortassis adhuc scrupulum moves putando, quod ne sic quidem obtentum sit finale divinum; dictum enim est, hoc neutiquam obtineri posse in effectu ultimo nisi per nexum Infiniti & finiti in unigenito & sic per fidem; ipsamque veram & indubiam fidem esse unicum illud, per quam obtineatur: quum tamen ab experientia satis notum sit, vix tertiam vel quartam partem generis humani scire, unigenitum filium Dei induisse imaginem humanam, & adhuc minus scire, per illum esse unicum illum nexum, & sic fundamentum fidei: pariter ante Messiæ

Finis quomodo obtineatur in gentilibus.

siæ adventum latuisse fere omnes, & quidem ipsos Judæos, quorum maxima pars credidisset, Messiam venturum esse non propter curam animarum, sed propter imperium mundi, ut illi sic toti orbi imperarent; quæ opinio adhuc in illa gente superstes est: adeo ut sic putaretur, quod nullum finale divinum obtineri potuisset, nisi in illis paucis, qui in mundo scirent, sed qui etiam crederent, Messiam propter animas nostras venturum esse & venisse. Sed adeamus jam illos, qui in ignorantia per tot sæculorum tempus ante Messiam vixerant, & pariter illos, qui hodie vivunt, quique nescierant & nesciunt, Messiam induisse imaginem humanam, ideo ut ille potuisset nos ut imperfectos per similitudinem secum connectere cum finali divino, & consequenter non modo nos aptos reddere fidem recipiendi, sed etiam in ipso finali divino vivendi: ergo oritur quæstio, an illi, qui nescierant & qui nesciunt Messiæ adventum, potuissent vel possint esse in finali divino? Respondeo, quod etiam esse possint: qui enim fidem in Infinitum habet, non excludit

 a fide

a fide unigenitum, non diſtinguit,quia non diſtinguere poteſt, nec diſtingui poſſunt perſonæ in fide qua divinitatem & infinitatem; unde ſi ſimpliciter poſſint credere in Deum & Infinitum, tunc ſimpliciter includunt omne illud, quod infinitum eſt in Deo, & pariter illa, quæ neſciunt, & quia in ipſa fide eſt divinum quid, non poteſt in illa ſeparari unum Infinitum ab altero, & ſic quia ignorant, nec in hoc puncto dari poteſt negativum quid, quia ſi credunt Infinitum, comprehendunt omne id, quod in Infinito eſt: ſed tamen uſque non poſſunt participes fieri finalis divini, nec credere, nec ſalvari, niſi per nexum illum infinitum, nam nulla ſalus eſt ſine illo; hinc jam unice reſultat quæſtio, an finalis divini participes fiamus per adventum ejus, hoc eſt,per induitionem formæ effectus ultimi, ut illum cum Infinito connecteret? an etiam ſimul per notitiam adventus ejus? Dico, qui neſcierant & neſciunt, illos ex Dei gratia participes fieri potuiſſe & poſſe per adventum ejus; alias poneretur aliquid in Deo, quod ei & finali eis repugnare videretur; at qui illum

illum sciunt, vel scire possunt, illos fieri per adventum ejus, & ad fidem illis necessariam esse notitiam adventus ejus, nam per notitiam qualitas fidei elucescit, & distinctior & plenior ejus perceptio fit, quæ sic in sciente separari nequeunt. Sed de his in philosophia ratiocinante de cultu divino; hic tantummodo tradere volui, qui finis creationis fuerit, & quod primarius fuerit propter Infinitum seu creatorem; & quod nihil sit in mundo creato, quod illuc non tendat.

§ XV.

Quod plures sint fines secundarii.

Sed ultimo quæritur, si finale primarium sit Infinitum, & terminetur, ut incipiat in Infinito, ut propter illud unice creatus sit mundus; quæritur, inquam, annon etiam alii fines sint, propter quos etiam creatus sit homo? annon, ut fruatur tellure tanquam possessione sua; ut fruatur delitiis humanis, quia ei dati sunt sensus & delitiarum penetratio usque versus animam; ut post mortem adhuc beatior vivat? Hoc neutiquam inficias eo nec ire possum, sed loquutus modo sum de fine

primario, qui non sit finitus sed infinitus, non propter hominem sed propter se ipsum: inde non negatur quin plures fines secundarii dentur, nullus est finis primarius, qui non, antequam obtinetur, in plures secundarios in rebus finitis per media abeat, sed dico, quod omnes hi fines secundarii conspirent tanquam mediæ ad finem primarium, adeo ut secundarii sint necessarii quatenus medii sive ducentes ad primarium; & quia divinum est in tenore causæ finalis, non potest quin ipsæ causæ mediæ & præcipue ipse effectus ultimus, in quo sit causa finalis, etiam participet de tali causa. Velim in exemplum vocare sensus humanos, & delitias, quas per sensus accipit homo; nisi sensus forent, & illi tam delitiosi, adeo ut omnia, quæ harmonice vident & audiunt, tam delitiose afficiant animam; nisi hi fines sint, ut videant, ut audiant, & illorum finis, ut anima se ab illis seu ab illorum harmonica receptione delectet, non obtineretur finis primarius, ad quem medium est, ut ipsa anima cum corpore per harmoniam naturalem conjuncta, eo delitiosius

sius & eo minus impedite ferri possit in cognitionem, adorationem & amorem Dei una cum corpore: nam nihil delitiosum sensibus datur in mundo, quod non delitiosissimum fiat, si delitiis insit cogitatio de Deo, quæ referat omnia ad delitias adhuc plus sensibiles, quas percipiet, si nexus sit cum prima causa; anima etiam cum corpore vincta erudienda est a sensibus, ut ipsa possit dein simul erudire corpus, ut tendat utrumque ad finale primarium: sic etiam quicquid in corpore est, eodem modo tendit ad illum finem; ut homo possideat tellurem, ut suum peculium, hoc etiam tendit ad eundem finem; scilicet ut ibi nutriatur homo, ut vivat, ut ibi erudiantur sensus & anima ejus, ut simul eo melius agnoscat Deum & Infinitum, & per agnitionem Dei & per fidem sic fiat particeps finis primarii; sed tanquam medium ultimum, & sic est finale primarium in Infinito; & reliqui fines sunt in homine, & terminantur in homine tanquam finito, sed per agnitionem, cogitationem, amorem indeque resultantem voluptatem in

cogitatione & cultu Dei sit particeps; sed tanquam medium finis primarii: unde nihil in homine, & nihil in mundo esse & existere posse dicendum est, quod non tendat ad illum finem, adeo ut hoc sensu sit nihil, quod non veneretur & colat Deum, tam inanimatum quam animatum, quatenus tendant ad finem illum in ultimo effectu obtinendum: sique homo huc omnes delitias mundanas, sive omne mundanum dirigat, ah quam felicissimus; ah qualem non animam formaret, ut perpetuo sic felix esse possit, ut perpetuo illuc cum delitiis ineffabilibus spiret. Voluit summum & infinitum numen, ut ad omnem finem in quocunque animali causa impulsiva ad finalem esset delitiosum quid, sive quod alii appellant voluptas; sed retineamus delitiosum naturale. In quocunque animali est illud impulsivum, quod sponte quasi agit & incitat animale ad finem suum, ut se nutriat, est delitiosum quid; ut vivat, est delitiosum per omnes sensus; ut procreet simile, est delitiosum quid; ut sustentet procreata vel prolem, est delitiosum quid, adeo ut ex ipso deli-

tioso

tioso naturali possimus non indubie concludere, ad quem finem creata sint. In homine est simile delitiosum naturale, quod agit, incitat & fert ad omnes fines naturales, scilicet ut vivat tanquam dominus telluris, ut se nutriat, ut sexum propaget, dein educat; in omnibus illis est voluptas sive delitiosum quid unice incitamentum, quæ jam venit sub nomine gustus, olfactus, visus, jam sub cupidinis, amoris, storges, gloriæ, & sub pluribus aliis titulis; quorum tamen omnium origo consistit unice in voluptate illa & delitioso; & delitiosi in amore, & amoris in nexu sive in harmonice contiguo: ergo ad omnem finem incitamur naturaliter per delitiosum quid, cujus exstinctio & mors est ideo tam contraria naturæ. Veniamus ad finem primarium, ad quem etiam per delitiosum quid partim sensibiliter, partim non sensibiliter ducimur, eo est delitiosum illud purius, delicatius, fortius & actu sæpe superans omnes reliquorum finium causas & delitias, inest enim ei omne perfectissimum, quod in delitiis esse potest, adeo ut ad illum sæpe tendant per ex-

ſtinctiones omnium reliquarum deli-tiarum, & ipſam mortem cupiant. Sic videmus, quod ipſæ delitiæ humanæ non repugnent ipſi finali primario; quatenus omnes fines ſecundarii illuc tendant. Videmus etiam, quod omne delitioſum naturale ſemel inceptum ex uſu & exercitio per ſe augeatur magis & magis & incrementa nova capiat, per ſe ad ſummum veniat, per ſe dein deſcendat & fiat minus & minus, adeo ut ipſam ſe conſumat; in aliquibus tantum eſt, ut non modo ſe conſumat, ſed etiam totum illorum corpus, antequam ad ſummum pervenerit: ſed delitioſum illud ad finale divinum tendens ſuam quidem originem cum ratione, ſua augmenta, ſuos gradus, quatenus eſt in partibus finitis, habet; ſed tamen videmus, quod illud delitioſum non a ſummo gradu deſcendat ad minus & minus, dum evaneſcat, ſed quod ſemper tendat ad ipſum perfectiſſimum, & hoc uſque ad mortem, quando perfectiſſimum eſſe debet, quantum poſſit; ſic ad ſummum ſuum fertur ad finem vitæ. Sciendum eſt, quod heic non inſtituere poſſim illam quæ-

ſtio-

stionem, an jus & leges naturæ intra societatem sint unice media ad conservationem societatis vel non, sive an respiciant unice ejus conservationem ut suum finem? nam hujus loci non est; ponatur quod sint, sequitur tamen, quod media illa eo sint perfectiora & rationi maxime consentanea, si respiciant œconomiam & conservationem ejus, ut societas possit esse medium ad finem primarium, vel ad aliquem secundarium, qui mediate vel immediate tendat ad primarium.

Quum huc tandem per quæstionem causæ pervenerimus, jam primum tempus est instituendi quæstionem Qualis; quum scilicet affirmativum a ratione sit, dari Deum & Deum esse infinitum, & quum hoc jam sit positivum, pariter quod detur nexus inter Deum & hominem per filium unigenitum, tunc primum ulterius progredi licet, non qualis sit, quia est infinitus, cujus qualitatem nusquam possumus penetrare, sed tamen quid dari possit in homine, quod ad hunc finem primarium ducat, quid in homine, quod non repugnet

pugnet Infinito & nexui; quomodo jam infinitus per voces finitas possit exprimi, ut non repugnent; qualis cultus esse debeat, qualis effectus fidei ex vera agnitione Dei provenientis, & innumera alia, quæ non breviter, sed per integrum volumen rationaliter deducenda sint. Et quia habemus hæc omnia per Dei gratiam in sacra scriptura revelata, hinc si ratio nesciat, quid apprehendendum sit, ad revelationem statim pergendum est; sique nesciat ex revelatione, quid eligendum aut quomodo intelligendum, ad rationis oraculum fugiendum est; adeo ut sic theologia naturalis manum præbere debeat revelatæ, si hæc dubii sensus videatur esse; & revelata manuducat rationalem, quando rationalis in ancipiti hæret: nam revelata & rationalis nusquam sibi contrariæ esse possunt, modo vere rationalis sit, & modo rationalis ne velit penetrare in mysteria infinitatis, in quo casu non vere rationalis est.

CONCLUSIO: Definiamus jam, quid NATURALE & quid DIVINUM sit;

sit; nam aliqui vocant hoc naturale, quod divinum est, & alii divinum, quod naturale. Communiter vocamus omne illud naturale vel materiale, cujus effectum videmus in natura, & pariter ejus causam, instrumenta vel media; ut machinam & ejus vim motricem vocamus mechanicam & naturalem, quia videmus instrumenta motus, rotas, vectes, trochleas, & vim inde secundum regulas mechanicas oriundam. In elementaribus vocamus naturale, quod nubes in superiore aeris regione ab aquis subtractæ condensentur; quod inde depluant; quod oboriantur tempestates; quod sol radiis suis illuminet orbem, foveat & calorem inducat; quod oceanus statis temporibus subsidat & intumescat; quorum causas putamus naturales, quia statis vicibus redeunt, & media in natura visibili esse per tempus comprehendere possumus. In mineralibus, quod ignis solvat metalla; quod duo liquores mixti invicem pugnent, effervescant, fument & ignescant; quod ipsa metalla per mixturam quandam liquidorum ope in vegetationes sive arbo-

reta

reta philosophica excrescere possint; quod magnes attrahat ferrum & respiciat polum, & plura alia, quia effectus novimus venire a substantiis & materiis visibilibus, & secundum nutum & voluntatem operantis; inde non divinum hoc vocamus, sed naturale. In regno animali, quod videamus, audiamus, sentiamus, crescamus & qua membra expandamur; quod senescamus; quod vulnera nobis doleant, quodque inde ægrotare incipiamus; quod per venena & per mucrones trans ilia & pectus adactos moriamur; hoc vocamus naturale; pariter animantium motus & sensationes externas & internas dicimus esse instinctus naturales, & totum animal organicum: cætera quæ nesciuntur, & quæ in puriori natura peraguntur, e qua omnes modi in compositis principia sua trahunt, volunt aliqui ut divina vel spiritualia nominentur. Secundum meam mentem est omne id naturale, quod existit a primitivo usque ad maxime compositum, sive totus mundus cum omnibus suis parti-[illegible] ejusque partium ortus, motus, [illegible]que inde prodeuntes innumeri, verbo

verbo omne finitum. Sed tamen nihil naturale est, quod non est divinum: differentia modo est, quod primitivum sit immediate factum tanquam naturale a Deo, reliqua vero successive orta & subsistentia, mediate; sic quodcunque vocamus naturale, hoc mediate divinum est; nam venit per media finita a primitivis, & consequenter ab Infinito, ut a causa, fonte & origine omnium partium & totius; sic nihil existit, subsistit aut fit, quod non ortum & causam sui trahat ab Infinito, sine quo nihil existere, nihil subsistere, nihil in universo esse & fieri potest; nihil enim existit nisi a causis aque causarum causis, & consequenter a prima causa, hoc est, ab Infinito; adeo ut in hoc respectu sit Deus omne in omnibus, utque nihil conceptibile sit sine principio & causa in Infinito, modo sit tale, quod ei non repugnet; quamvis cum multum finitis consentiat. Sed causas, origines & effectus rerum in natura subtiliori aut crassiori per res finitas mediate existentium, vocare immediate divinum, foret Deum finire seu finito similem redde-

re,

re, & consequenter negare infinitatem ejus, vel de illa crassiorem, naturalem, nec aliam, quam ipsi gentiles idololatræ, ideam formare & fovere: quod nulli, minus philosophis christianis, permissum est.

Quamvis exempla similium non demonstrent, tamen illustrant. Sic per comparationem animæ cum corpore illustrari aliquatenus posse videtur, qualis sit nexus Infiniti & mundi: sine anima nihil in corpore datur agens, patiens, vivens & intelligens; immediatum animæ est rationale illud analyticum, philosophicum & distinctum, quo a brutis dignoscimur; reliquæ omnes operationes sunt animæ, sed mediate, prout instinctus, appetitus & voluptates, ut & quod confuse cogitemus, sentiamus, audiamus & videamus, est animæ, sed mediantibus organis; nihil enim sensitivum datur in corpore, quod non per animam sensitivum fit; in omni contiguo nulla datur actio, passio, aut sensatio, nisi oriatur in uno fine, vel etiam interdum in mediis, & terminetur in altero; nihil

nihil intra nexum alicujus contigui existere potest, nisi quod se ad fines referat, & consequenter ad animam in corpore aut in nostro microcosmo, ubi primo fit sensitivum & tandem intellectuale. Sic in mundo seu in macrocosmo nihil dari potest, quod se non ad Infinitum referat, adeo ut nihil existat aut subsistat sine Infinito, in quo est origo, causa & finis totius universi; sed immediate divinum non dici potest nisi unum illud, quod vel pure simplex vel primitivum, aut ei proximum sit & perfectissimum; reliqua sunt mediate divina, quia per nexum & contiguum mediate se ad principium suum, tam qua existentiam, quam qua subsistentiam referunt, & consequenter sine Infinito nihil in mundo est agens, vivens, intelligens, minus existens & subsistens. Vel si velis aliter per inductionem argumentari, potes ex finitis ad Infinitum etiam hac ratione inferre, quod in omni finito nihil substantiale detur, quam primum seu minimum substantiale; nam nihil est, quod non ab illo sit compositum: vel si velis ulterius, quod in finitis

nitis nihil detur, quam pure ſimplex, quatenus omnia a pure ſimplicibus originem traxerant. Sed quicquid a finitis uſque ad Infinitum ſimiliter & comparative inducitur, hoc tantum ad illuſtrationem, quatenus non repugnat, non vero ad inductionem finite & geometrice analyticam formandam conducit: nam omnis modus, vel ſimile modo, ex quo analyſis formatur, incipit in ſimplici aut primitivo, non vero in Infinito, in quo & ex quo nihil per modum geometrice, analogice, rationaliter aut philoſophice nobis uſquam intelligibilem immediate exiſtere & prodire dici poteſt.

FINIS CAPITIS PRIMI.



PRO-

PRODROMUS PHILOSOPHIÆ RATIOCINANTIS DE MECHANISMO OPERATIONIS ANIMÆ ET CORPORIS.



CAP. II.

DE MECHANISMO OPERATIONIS ANIMÆ ET CORPORIS.

HIc primum generaliter quæritur, num anima ſit finita vel non? an ſpiritus animales, prout illos vocare ſolent, ſint finiti vel non? Dico, quod a nullo negari poſſit, quin anima ſit finita, & pariter ſpiritus ejus finiti; nihil eſt infinitum præter unum & ſolum Deum: quodcunque non eſt infinitum, hoc debet eſſe finitum, vel ejus ſimile; non datur medium; non datur esſentia participans ab utroque ſcilicet a finito & infinito, quin finitum per ſe ſit & Infinitum per ſe, vel quin nexus ſit infinitus. Quum itaque non datur compoſitio finiti & Infiniti ſimul, quin unum in reſpectu ad alterum ſit inſtar nihil; & quia non datur aliud infinitum quam unum, nec datur aliquid infinitum quam Deus: hinc non poteſt

Num anima ſit finita?

est anima esse infinita, quia non potest esse Deus; ergo est finita.

Num anima regulis sit adstricta?

Quæritur iterum, si finita sit & consequenter ab infinito creata, num regulis addicta sit, vel num sit sine regulis, adeo ut sit ens primum sine regulis, sed quæ sic regulas ex vi innata & activitate sua dare possit rebus successivis & crassioribus? Dico, quod, si finita sit, non possit esse absque regulis; finitum sine quali non datur, ipsa qualitas dependet tanquam attributum indivulsum ab omni finito; quum aliquid finitum factum sit, debet finitum esse tale vel non tale, debet ejus qualitas etiam esse finita, adeo ut certo modo finita aut certis regulis alligata sit: finitum sine qualitate est infinitum; qualitas non potest esse sine regulis, sine discrimine ab alio quali, sine differentia, sine modo quod ita, non aliter pati aut agere possit, & quia subjectum est finitum, prædicata omnia consequenter erunt finita; & si finitum agnoscit modos, sunt ad minimum regulæ, per quas vel secundum quas modi agnoscantur, adeo ut nequaquam

possit

possit esse sine regulis; & quidem sine regulis similiter finitis, quale est ipsum subjectum finitum. Quod suas regulas habeat, exinde etiam elucescere potest, quod ejus præcipuum QUALE sit in operatione in corpus & in organa corporis; num sit hoc mediate vel immediate, nondum hic facio quæstionem: quumque alligata sit ita corpori, ut suam actualitatem cum corpore suo, non cum aliis communicare & ei imprimere possit, certe addicta est regulæ ad minimum generali, quod scilicet huic, non alii corpori se & suum quale communicare possit. Quumque addicta sit suo corpori, & quum operetur in corpus, jam in hanc ejus partem, jam in aliam, jam sic, non aliter secundum corporis seu ejus partium formationem, quod sæpe non possit secundum suum nutum & arbitrium disponere omne corpus & ejus partes, sed quod se applicare debeat & possit ad corporis & ejus partium situm, formam, motum; hinc videtur, quod non modo in se ipsa, sed etiam in regulis ejus, quibus gaudet, sit tale, ut posit se applicare ad corpus,

qualecunque corpus ſit, ut poſſit in eo reſpectu quaſi alia eſſe, ut non uno modo ſemper operetur, vel ſi mavis, quod etiam aliter formari poſſit, ut operari queat in partes corporis per ſimilitudinem aut harmoniam ſui, & uſque ita operari, ut illæ partes operationi ejus obediant, ideoque QUALE in eo etiam eſt, quod poſſit ita eſſe vel ita fieri, ut operetur non modo in partes ſui ſimiles, ſed etiam in minus ſimiles, & ſic ſucceſſive: ex quibus tantum deduci poteſt, eſſe in illa qualitatem, facultatem aut potentiam operandi, ſecundum quam regulas habet, quibus regit, & conſequenter quibus regitur. Nec opus eſt, ut in his prolixiores ſimus; nam a ratione negari non poteſt, quin finita ſit & quatenus finita, quin ſuas regulas habeat, ſecundum quas operari poſſit in corpus.

Num in finitis aliæ regulæ dentur, quam mechanicæ? Quæritur iterum, num in finitis aliæ regulæ dentur, quam quæ mechanicæ ſint, & quæ geometrice poſſint deſcribi? Hic non inſtituo illam quæſtionem, an Deus potuerit aliam naturam finitam

tam creare, quam quæ unice finiri possit per regulas nostras mechanicas & consequenter geometrice? nam Deo nihil est impossibile, quatenus est infinitus; sed tantum illam, quatenus finire voluerit, & naturam producere finitam, & quatenus jam sic finita est, prout illam in effectibus grandiusculis & ope sensuum detegimus, ubi est mechanica & geometricis regulis addicta; quæstio est, num in minimis suis natura aliter finita sit, quam mechanice aut geometrice? Antequam ad hanc positionem respondere possumus, examinemus primum, qualiter natura finita est in multum compositis & altius derivatis: quæcunque per sensus nostros percipimus, in omnibus videmus nihil esse, quod non mechanicum sit, quod non potentias mechanicas agnoscat ut suas regulas, & ipsæ regulæ agnoscunt suum fundamentum in geometria; hoc videmus in compositis; adeo ut non possimus negare, quin eatenus omne geometricum & mechanicum sit, quatenus hoc primum per sensus capimus vel capere possumus; adeo ut motus, ut distan-

tias, ut figuras possimus sensualiter capere, & sic metiri. Veniamus jam ad illa, quæ infra sensuum sphæram sunt, ad subtiliora; dico, nihil in crassiori, majori aut sensibili mundo esse, quod non successive trahat suam causam a subtiliori, quia omnis effectus prodit a suis causis: ipse effectus ex suis causis prodiens non potest esse dissimilis suæ causæ, nam principium sui trahit a causis; adeo ut ipsa principia a causis sint derivata in effectus; & quia jam effectus omnes sensualiter perceptibiles sunt mechanici, an aliud inde concludi potest, quam quod etiam in ipsis causis sit simile principium, & sic etiam in causis sit mechanicum & geometricum? si in causis aut subtiliori mundo non esset idem principium, effectus fieret omnino dissimilis suæ causæ, vel sequeretur, quod esset aliquid plus in causis, quod non factum sit conspicuum, vel quod non venerit in effectus, hoc etiam non est secundum rationem, vel secundum experientiam, quin tamen aliquid simile esset, vel aliquid tale, quod nihilominus ab effectu judicari posset, tale in causis

causis inesse potuisse vel debuisse: nam intra sensus nostros sunt plura, quorum causas, causata & effectus videmus & sentimus, adeo ut ante sensus habeamus etiam effectus cum suis causis. Quum ratiocinandum est de causis ab experientia, quomodo scilicet conspirent ad effectus formandos, non melius hoc possumus, quam ex ipsis causis quas videmus una cum suis effectibus, quos scilicet intra unam eandemque sphæram sensuum simul cum suis causis comprehendimus; in omnibus illis deteximus esse mechanismum, scilicet in effectibus esse mechanismum, inque causis esse mechanismum, usque dum causæ tam subtiles evadant, ut illæ se a sensibus nostris primum subtrahere incipiant, & demum plane subtrahant; quare tunc primum illas a mechanismo volumus subtrahere; non est ratio sufficiens, quia non est sensibile, quod talis sit, usque tamen potest esse perceptibile, quod talis sit, etiam potest esse plausibile, & quidem per inductionem ab illis, quæ per sensus capimus. Hoc non foret aliter, ac si argumentari velles, video, quod animal

animal movet sua membra, caput, pedes, lumbos, brachia, & membrorum partes, video in majoribus effectus mechanicos; video per anatomiam & sectionem, quod motus illorum mechanicus ad plurimam partem consistat in musculis, quod ipsi musculi sint ad talem mechanismum aptati & formati. Possumus mille figuras ad motum illum applicatas, & pariter plurimas corporum species unice ad motum illum formatas localiter demonstrare; possumus fibras in talem ordinem dispositas videndas sistere; possumus ipsos musculos & alias partes manu sumere, & facere ut moveantur, quumque moventur, videbimus, non aliter posse moveri, quam qualiter ipse effectus aut membrum se moverat: possumus unam fibram vel aliam partem sumere, & nobis ad oculum monstrare, quod illa sit flexilis, quod possit se una cum sociis comprimere, possit se dilatare. Ergo videmus causas & effectus localiter, & agnoscimus sic tam in causa, quam in effectu mechanismum & aptitudinem ad illum motum geometrice formatam: si applicas adhuc microscopia,

ſcopia, videre potes minores partes prout majores, & in minoribus majorum cauſas qua motum & extenſionem; ſed quum partes incipiunt ſe ab oculis & viſu noſtro ſurripere, ut illas amplius nec nudis oculis nec armatis poſſimus ſentire, quæ tunc ratio eſt? quod hæc, quia a ſenſibus occulta facta ſint, non ſint pariter mechaniſmo aut geometriæ ſubjecta; num ideo, quia non videmus cauſas? hoc nulla eſt ratio, quod poſſit eſſe, quia ſenſibilis eſt, & quod debeat non eſſe, quia non ſenſibilis eſt; ſed veroſimilius & conſequentius eſt, quod in minoribus ſeu in cauſarum cauſis ſit, quale eſt in cauſis & effectibus. Poſſumus eodem modo inducere ex eo, dantur inſecta, quæ non poſſumus videre nudis oculis, ſed per microſcopia & vitra adjutis & acutis, videmus illa etiam moveri poſſe, gaudere membris; ſed quia jam membra etiam fugiunt oculos armatos, num ideo concludendum ſit, quod non gaudeant membris, & adhuc minus, quod membra non gaudeant ſuis muſculis & fibris, nec ullo ſimili cum muſculis aut fibris, quæ moveant

veant ſuas partes, & partes ſucceſſive totum; quæ ratio eſt negandi? quia non vides; nulla eſt ratio: ſed ideo tibi datus eſt ſenſus videns & audiens, ut per illos comprehendere poſſis aliquos effectus cum ſuis cauſis; & data eſt illis anima, & ſic ratio, ut ex illa concludere poſſis, quales ſint cauſæ & effectus in illis, quæ non vides aut ſentis.

Num finitum concipi poſſit ſine extenſo? Quia nobis imprimis neceſſarium eſt, ut quæſtio & nodus hic evolvatur & ſolvatur; videamus, annon aliquid finitum detur, quod non ſit naturale, num aliquid naturale, quod non regulas ſuas habeat, num aliquæ regulæ in natura, quæ non ſint mechanicæ & geometricæ, hoc eſt, tam in natura minima quam maxima, tam in inviſibili quam in viſibili? Jam hoc evolvere conniſi ſumus per effectus & cauſas viſibiles, per inductionem & ſic per rationem analyſi inſtructam, quod ſimile ſit in cauſis, quod in effectibus, & conſequenter in cauſarum cauſis, ſi aliquis nexus naturalis dari poſſit. Sed ulterius, ponamus jam finitum quoddam, nam omne creatum eſt finitum, omne naturale eſt

eſt finitum; ſed quæritur, an omne finitum ſit naturale,& tale naturale,quale in viſibilibus recognoſcimus? Dic mihi, an unquam finitum concipere poſſis ſine extenſo? Si careret extenſo & pariter ſimili extenſo, annon eſſet infinitum? Vel ulterius,num concipere poſſis, dari aliquid ſine ſimilitudine cum extenſo, adeo ut ad minimum ſimilitudinem aliquam trahat ab extenſo? Si finitum eſt, & omne naturale eſt finitum, non poteſt ullo modo concipi ſine extenſo, vel ad minimum ſine ſimilitudine aut nexu cum extenſo. Naturaliter dico, nam contra omnem rationem foret, ſi fugeremus illico ad Infinitum, quum naturæ inquiſitionem inſtituere volumus; præcipue, quum habemus cauſarum cauſas in finitis, & quatenus natura jam ſemel ab Infinito finita facta ſit: ſed ponatur jam finitum, quod non ſit extenſum, & quod tale dari poſſit, hoc eſt finitum, quod non habeat ſuum quale in eo, in quo extenſum habet; non tamen uſque negare poteris, quin habebit in ſe aliquid ſimile extenſo, alias nec cum extenſo aut in extenſo, aut in extenſum operari poteſt.

Sed

Sed arripiamus libentius hoc, quod quatenus finitum, eatenus sit extensum, (de substantiis loquor); ergo quatenus extensum, eatenus etiam spatium occupat, sit tam exiguum, quam usquam concipere possis, usque tamen est spatium; tale neutiquam potest concipi sine attributis, nam nihil finitum sine attributis est, quæ scilicet a suo subjecto nequaquam separari possint; si extensum est, annon attributum ejus est, quod figuram aut formam habeat; extensum aut spatium sine forma, quid hoc? est nonens; estne contra omnem rationem: si extensum sit cum forma, estne hoc geometricum? geometria nude considerat extensa & spatia cum suis formis, seu formas in suo subjecto: an dari potest forma in extenso absque sensu geometrico, quatenus est finitum; ergo quatenus est extensum, est etiam in eo formale, quatenus extensum & formatum est geometricum. Veniamus jam ad modum vel motum talis extensi formati; motus potest dari in extenso, si habeat partes, adeo ut sic dari possit partium motus ad locum in extenso;

si ca-

ſi careat partibus & movetur, fit motus ipſius extenſi formati a loco ad locum: ſi conſtet partibus, & omnes partes componant mihi extenſum; & ſic omnes partes ſimul moventur, fit motus totius, hoc eſt, quod extenſum poſſit moveri vel qua partes vel qua totum; ſique ullo modo movetur, eſt mechanicum; motus alicujus extenſi non poteſt dari niſi ſit mechanicus, qualiscunque motus ſit, nam mechaniſmus pertractat motus & vires inde oriundas; ſint qualescunque velis, modo ſit motus, aut ſit modus, qui non fieri poteſt niſi per motum, conſequenter eſt mechanicum. Jam redit quæſtio, an regulæ motus ſimpliciorum corpuſculorum ſint prout regulæ motus corporum majorum, nimirum mechanicæ? Sed dico hic generaliter, quod motus extenſi vel motus partium in extenſo non poſſit dari, niſi nominetur mechanicus, nam quicquid mobile eſt, illud eſt mechanicum. Si jam movetur vel moveri poteſt, & in hac ratione ſit mechanicum, quæro, an motus conſiderari poſſit ſine figura? ut conſideretur ſine figura, contra ratio-

nem eſt, ſi motus via ſit in lineam rectam, tamen eſt geometricum, quatenus eſt linea vel eſt in rectum: ſi in circulum eſt geometricum & pariter figuratum quatenus in circulum; ſi in aliam figuram, modo ſit e loco in locum, fit ſtatim a termino ad terminum, & conſequenter fit motus geometricus vel figuratus: ex his & aliis perplurimis argumentis concludi poteſt, nihil dari in rerum natura, quatenus eſt finita, & qualitates & modos habet, quod non ſuis regulis gaudeat; pariter quod in noſtris naturalibus nullæ aliæ regulæ dentur, quam geometricæ & mechanicæ.

Num anima ſit pure ſimplex? Sed quia de anima agitur, videamus jam, an anima concipi poſſit ut aliquid purum actuale, aliquid ſimplex, tale ut geometriæ & mechaniſmi expers ſit; ſi enim pure ſimplex ſit, non admittit gradus: ſimplicis hujus eſſentia eſt, ut partibus careat, & conſequenter extenſi, ſpatii, dimenſionis & figuræ expers ſit; nam ſi ſimplex eſt, quo ſimplicius nihil dari poſſit, utique partium, ſpatii & figuræ expers eſſe debet; ſi enim

ſi enim partes adſint in ſimplici, datur ſtatim illo aliquid ſimplicius, quælibet enim pars ſimplicior eſt, ergo purum ſimplex nullius partis eſt; ſique nulla pars aut nihil ſimplicius, eſt illimitatum quid, ſine fine & terminis, niſi velis dicere, quod tantum uno limite aut termino gaudeat, quia dare poteſt limites & terminos compoſitis; nullum enim extenſum eſt, quod non oriatur a minus extenſo, & tandem ex non extenſo ſive ſimplici; nullum figuratum, quod non ſimiliter oriatur a non figurato ſive a ſimplici, in quo nihil aliud concipi poſſit, quam ſimplex. Tale ſimplex, quod nullius partis eſt, neve extenſi, nec dici poteſt finitum; in finito enim ſunt termini, per quos ſcilicet finitur aut limitatur. Cum tali ſimplici non comparari poteſt anima, quæ finita eſt, & regulis finitis obſequioſa eſſe debet. Purum hoc ſimplex, quia partium eſt expers, conſequenter eſt indiviſibile; ſique dividendum eſt, omnino annihilandum eſt; nam quando nullæ partes ingrediuntur eſſentiam, omnino diviſio eſt annihilatio: & quia nulla pars aut ali-

quid substantiale est, quod moveatur aut obstet, & consequenter nulla momenta aut gradus dantur, hinc annihilatio prout ortus concipienda est fieri in instanti; ex quibus etiam sequitur, quod huic simplici nihil finiti inesse possit; si quid finitum, non potest esse instantaneum, non potest esse sine quali & modo qua ortum; sique finitum sit, per modum erit finitum, per quale erit finitum factum, si quale dare, & per modos in multum finita operari possit; sique in ipsa essentia nihil tale sit, nihil modificatum, omnino est ortum immediate ab Infinito, & est simplex, quod neque infinitum, neque finitum sit; exinde sequitur, quod tale simplex non idem esse possit cum anima, quæ ad minimum, nullo diffitente, est finita, & regulas & modos in se & extra se possidet.

Num anima sit simplex finitum?

Sed quia anima putatur esse actuale purum & simplex & pariter finita, videamus, an sit eadem cum simplici finito: simplex finitum non idem est cum pure simplici, nam est finitum; & quia finitum est, per simpliciora omnino fini-

finitum eſt; ergo ſimplex præmemoratum eſt hoc ſimplicius, & conſequenter hoc reſpective eſt quaſi compoſitum; ſi enim dantur ſimpliciora, non poteſt eſſe pure ſimplex, quia agnoſcit ſimplicius: ergo ſimplex hoc finitum agnoſcit modum, per quem finitum eſt; agnoſcit fines, in quos finitum eſt; agnoſcit quale, per quod finitum eſt, & quod ſic, non aliter finitum ſit: & quia ſimplex præmemoratum eſt partium, extenſi, ſpatii & figuræ expers, e quo tamen partes, extenſa, ſpatia & figuræ prodierant; unde hoc finitum ſimplex nec aliunde originem trahere potuit, quam a pure ſimplicibus, per quæ finitum eſt factum: ſic SIMPLEX FINITUM non dici poteſt omnium partium expers, quatenus ſimpliciora tanquam partes concipi poſſint, ſive talia, ut dare aut formare poſſint partes, vel per multiplicationem vel per alium modum; ergo non ſine extenſo & omni ſpatio conſiderari poteſt, licet ſit minimum & exiguiſſimum in ſpatio, ſive exiguiſſimum ſubſtantiale aut naturale, quo minus dari nequeat: nec dici poteſt indiviſibile,

ſibile, quatenus dantur ſimpliciora, in quæ dividi poſſit, & quatenus ſic non annihilandum ſit, quum dividendum; verbo, antequam fines ſuos adeptum eſt, modos agnoſcit in ortu, & conſequenter modos in exiſtentia & ſua ſubſiſtentia. Videamus jam, an anima tale ſimplex eſſe queat; anima ſine activitate non conſiderari poteſt, in eo conſiſtit ejus eſſentia; quod ſcilicet agere poſſit in partes corporeas, quodque non in alius quam in ſui corporis; ergo ſimplex finitum non eſt idem cum anima, niſi in ſimplici finito conſideretur ſimul activitas; pure ſimplicium activitas in tali finito vel erit inter partes, quæ illud conſtituunt, vel erit totius; ſi ſit inter partes ſive interne, non ſequitur inde, quod activitas ſit inter partes alias extra ſe; ſi detur activitas totius, hæc non poteſt concipi ſine activitate in loco, ſive ſine motu e loco in locum; ſine motu locali nec ulla eſt vis aut actio in aliquid vicinum, nec in vicino ulla mutatio: ſi foret tantummodo conatus in motum, ſequitur inde nulla actio aut vis in vicina ſine motu locali ex conatu oriundo; ergo

ergo concipiendum est tale simplex finitum activum non modo qua suas partes sive interne, sed etiam qua totum; si ergo activitas qua partes & qua totum, & hoc locale, statim fit ipse motus quoque finitus, non modo quod in loco & ad locum fiat, sed etiam quod essentiale motum sit finitum; essentiale finitum non potest producere motum purum vel totum; actio non modo supponit vim aut conatum, sed etiam celeritatem & tempus: ergo est activitas in minimo hoc substantiali finita, nec in illa purum quid aut totum; purum non datur nisi in pure simplici.

Ponatur, quod anima sit activum simplex, sit activum purum, sit activum perfectissimum, sed tamen finite simplex, purum & perfectissimum; videamus, an hoc in animæ essentiam & attributa coincidere possit; si in his consistat activitas animæ, erit illa omnino talis, ut agere possit in partes corporis sui, non alius; ut pati possit & recipere motus aut modos illuc a corpore venientes; ut ad illos se possit dispone- *Num passivum etiam sit in anima?*

M 4 pone-

ponere, & illos dein reflectere, & secundum vires in se agentes reagere, ut apta sit tales modos ad minimum producendi, & quidem intus in sui corporis sphæra & spatio: si anima mere foret tale activum, agere quidem posset, sed non sentire actiones corporis in se, non se disponere ad recipiendum simul & agendum, non modificare secundum corporis partes; hinc requiritur ad animæ essentiam adhuc aliquid, quod non est pure activum, requiritur etiam passivum, hoc est, ut activa ejus sint inclusa alicui expanso tanquam passivo, per quod non modo in corpus queat agere, sed per quod recipere actiones e corpore venientes; & per quos se disponere ad hos & illos modos, & per quod reflectere, & in quod pariter actualitatem suam & vires exercere possit; verbo ut sit in anima tam activum, quam passivum; sic anima non modo in vita cum corpore, sed etiam extra suum corpus potest sentire; soluta a corpore pati & agere; gradus in delitiis percipere, & vivere non dissipari; quæ nunquam concipi possunt sine passivis, & passiva sine expanso,

panſo, & expanſum ſine figura; & activum ſimul cum paſſivo ſine ſpatio & extenſo, & tale extenſum ſine elaſticitate, & elaſticitas ſumma, genuina & primitiva ſine activis incluſis, quæ in expanſum ſuum perpetuo agant; quæ nullum contiguum forment, quale elementaria; quæ non poſſint locum occupare, niſi qualem permittit expanſum; quæ ſurſum & deorſum in motu ſuo non agnoſcant; ſed quæ ad omnem angulum & directionem agant; quæ ſic non dici poſſint reſiſtere, ſed pure agere, & plura alia, de quibus alibi.

§ II.

Jam venit quæſtio finalis, num ſcilicet anima iisdem regulis, hoc eſt, geometricis & mechanicis ſit addicta? num ſcilicet exiſtat, ſubſiſtat, quieſcat, moveatur & operetur in partes corporis mechanice & geometrice vel non? Recurramus itaque ad prius, ſcilicet num illa ſit finita vel non, num ſit creata vel non? hoc non negatur; adeo ut nemo ſit, qui poſſit vel contra rationem velit ſtatuere animam aliter quam finitam,

Num anima ſit regulis geometricis & mechanicis addicta?

tam, quia creata eſt, quia in mundo, quia in hoc reſpectu pars eſt mundi; quia finite operatur in partes naturales corporis ſeu in corpus, & quatenus corpus, in quod operatur, eſt concretum ex partibus: ergo quia creata eſt, & in mundo, & actiones ſuas exercet in partes, quas agnoſcimus eſſe corporeas & naturales; hinc non aliter posſunt quam agnoſcere animam ut finitam. Quæritur adhuc ulterius, num ſit naturalis, vel num ſit una pars naturæ vel non? Ad hoc reſpondetur eodem modo quo prius; quia eſt creata & finita, & quia Deus creaverat finitum, hoc eſt, naturam, hinc non poteſt esſe quin ſit in natura: ſed an ſit naturalis vel non? Videt quidem ratio, quod anima ſit in natura, & a Deo miſſa in naturam una cum mundo, adeo ut ſit una pars in mundo creato; & videt, quod non ſit extra mundum, quod non ſit infinita; quod poſſit claudi intra finitum, hoc eſt, intra corpus; adeo ut addicta ſit partibus corporeis: ſi enim infinita eſſet, non foret alligata partibus corporeis, ſed foret ſeparatum quid ab illis, & foret tam extra

quam

quam intra corpus; ſed jam ab ipſa experientia ſine ulla alia ratiocinatione liquet, quod ſit aliqua pars in corpore, & quod alligata ſit corpori, & conſequenter non infinita, ſed ad corpus limitata; ergo una pars naturalis in corpore. Sic pervenimus ad illud, num ſit pars inter res naturales? quod affirmatur.

Quia jam eſt naturalis, quæritur ulterius, an aliis regulis ſit addicta, quam quibus ipſa natura eſt addicta? vel an regulis, quæ nobis ignotiſſimæ ſunt, & quæ nobis ut ignotiſſimæ in perpetuum manſuræ ſint? Dico ſecundum ſuperiorem concluſionem, quod nihil naturale dari poſſit, quod non regulis finitis ſit addictum; quod alias foret infinitum, non vero finitum: ergo regulis addicta eſt, ſecundum quas posſit operari & debeat operari. Si itaque regulis ſit addicta, quæritur, quibus regulis? num putandum ſit, quod nunquam penetrare poſſimus in illas regulas? Sed ex ſuperioribus recolligere licet, quod naturale noſtrum nullas alias regulas agnoſcat, quam quæ in ipſis effecti-

effectibus apparent; quæ sunt regulæ geometricæ & mechanicæ; geometricæ qua figuram & spatium, mechanicæ quà motum & vim motus. Si quis mihi monstrare possit, non posco ut demonstret, quod aliæ regulæ in nostro finito dari posſint, victas dabo manus: sed quia non potest finitum aliquod concipi sine extenso, nec extensum sine forma, nec utrumque simul, si moveatur sine mechanismo, nec mechanismus sine figura (non me moraris, si dixeris te concipere posse plura sine extenso, ut modos, modificationes, contingentia, tempus, & alia similia; nam nullo modo hæc potes concipere abstracte & sine extenso, nam per modificationes aut motus extensi proveniunt hæc omnia, adeo ut se referant ad finitum extensum, pariter omnia in illis quæ possis vocare successivum, gradus & momenta; hinc etiam illa sunt in tali respectu extensa) hinc prorsus non scio, an usquam monstrari possit, dari alias regulas & leges naturæ, quam geometricas & mechanicas: at quicunque vult negare extensum, negat etiam hoc,

hoc, hoc ſcio; ſed qui negat extenſum, negat etiam finitum; ſed quomodo finitum ſine extenſo, ſucceſſivo, gradu, momento &c. vel ſimili tali, vel quod non ortum trahat ab extenſo, ſi hoc inquam monſtrari poſſit, libens in ejus partes tranſibo. Ex his ſequitur, ſi anima ſit creata, ſit finita, ſit naturalis, nam duo finitorum genera & duo naturalia non creaverat Deus, niſi ut concurrerent ad quoddam ſimile, ut ſic ſimul poſſent conſiderari prout naturale; ſi denique ſit regulis naturæ addicta, quod tunc non aliter eſſe poſſit, quam regulis mechanicis & geometricis alligata.

Sed ſi mechanica & geometrica ſit, ægre fortaſſis facultates ejus plures, ut imaginandi, percipiendi, concludendi, memoria tenendi, conſcientia ſui, prout vocatur, ideæ reflexæ & plura alia poſſent explicari: ſed in his inſtruamur aliquatenus ab ipſo vaſtiſſimo regno animali, aque illis, quæ ſimul vitam trahunt & animant, & in quibus ſimiles ſenſus, motus & figuræ partium & totius apparent; in illis quidem non anim-

Qualis ſimilitudo cum machinis?

animadvertere licet ideas reflexas, imaginationem, memoriam & analyfes rationales, quales in homine; fed tamen ufque videmus dictarum facultatum aliqua veftigia & quendam parallelifmum; ad minimum in illis animadvertere licet aliquid fimile, aliquid confufum tale & rude & quafi fignum earundem facultatum; hæc omnia vocamus nude inftinctus naturales, effe organicum quid & effe machinam: fi itaque hæc purius, perfectius & diftinctius concipiamus in homine, fcilicet ut omne hoc fimile & parallelum fe ad principium aut ad finem adhuc diftinctiorem, perfectiorem & puriorem, hoc eft ad animam fe referat; quæ fi diftinctior, perfectior & purior fit, non ideo definit effe purius & perfectius mechanica: ipfa differentia in perfectione non facit, ut exuat omnes regulas, quæ in puriori mechanifmo & mundo dari poffint: ergo fi velis comparative cum machinis loqui, velim etiam comparative cum machinis refpondere; non cum machinis inanimatis, fed cum animatis; de quibus latius in ipfo opere.

Sed

Sed quia regulis mechanicis aut geometricis ſubjecta dicitur anima, autumari poteſt, illam non eſſe ſpiritualem ſed materialem, & conſequenter cum corpore morituram; verum conceptus ille venit ex craſſiori idea de mechaniſmo puriori; interituram ſcilicet eſſe prout materialia & organica craſſiora; ſed ſi conſideremus, dari mundum craſſiorem, imperfectiorem & mutabiliorem, & dari etiam puriorem, perfectiorem & immutabiliorem, non veroſimile eſſe videtur, quod mundus ille ſubtilior ſeu primitivo ſuo propior ſimul cum craſſiori interiturus ſit; quicquid enim interitui & mutationi obnoxium eſt, eſt illud finitum & ſubſtantiale ſeu materiale, quod per ſucceſſionem rerum mutabilius & imperfectius factum eſt; at quod adhuc purius eſt, nec ita mutationi obnoxium, & conſequenter nec imperfectum, ut mundus ſubtilior, purior & perfectior; Infinito & divinæ eſſentiæ repugnare videretur, ſi diceremus illud ſimul in eundem interitum, mutationem & metamorphoſin rerum una abiturum eſſe, & conſequenter animas in illo mundo viven-

Num ſit immortalis?

viventes: unde quodcunque perfectissime finitum est, & simul in mundo puriori, hoc per Dei gratiam interitus & mortis securum & nescium fore, cum ratione concludi posse videtur: nam, ut dixi, quo perfectius & purius, eo etiam est immutabilius; sique anima sit illius mundi pars, agere & pati debet simillime cum omni ejus parte. Sique demittamus animum in mechanismum partium subtiliorum, inter quas anima est una pars, videbimus, quod non possit mori, nisi etiam minutissimæ illæ partes intereant vel annihilentur; quod non possit mori, si ipsa tellus cum suis aquis & partibus pereat, non si aer vel si æther pereat; sed si natura subtilissima periret, annihilaretur tunc non modo totum universum finitum, cujus pars anima est, sed redirent omnia in nihil, unde per Dei gratiam immortalis, per Dei gratiam est etiam ne universum annihiletur. Sed quid opus est verbis? velim, quantum dabile est, in ipso opere ad oculum demonstrare, scilicet quod anima sit perfecte & purius mechanica, & quod anima sit immortalis, quodque

que interire nequeat, nisi annihiletur universum; pariter quod ita creata & formata sit, ut incipiat vivere in corpore, sed quod nesciat mori; & quod naturaliter impossibile sit, ut moriatur; quod nec lædi possit ab igne, nec ab aere, nec ab æthere, nec ab elementis adhuc subtilioribus.

Dixi, quod animam hactenus consideraverint ut ens plane ignotissimum, & tanquam ignotum mansurum usque ad finem mundi, vel usque ad finem vitæ, sive usque dum anima soluta e corpore se tandem fortassis cognosceret, tanquam nos, nosmetipsos per sensus: quum itaque illam ut ens ignotissimum consideraverint, & usque animadverterint, illam in corpus nostrum mechanicum operari non aliter ac aliud mechanicum, & inde concluserint, esse nexum corporis & animæ talem, ut corpus sine anima nihil agere possit, quin prius retulerit omne suum agendum usque ad animam tanquam centrum; quum etiam viderint voluntatem non unice dependere a corpore, sed simul ab anima, sive ex

utriusque oriunda ratione & resolutione. Quum itaque viderint, inquam, operationes tales socias, non potuerant unum separare ab altero, & de anima separatum quid facere, & de corpore separatum quid, nisi statuerent aliquod medium, quod participaret quasi ab utroque, scilicet spiritus animales, qui jussa peragerent utriusque, non aliter ac famuli & emissarii in omnes corporis partes, & sic disponerent non modo, sed urgerent musculos & fibras; ut in hunc vel illum motum comprimerent vel laxarent organa; ideo illos spiritus vocaverant, & quidem animales, ut per aliquam vocem exprimerent illud medium, & qui sic ignotissimi repræsentarentur, non aliter ac spiritus extra corpus: hoc ita exprimere voluerant, quia nexum non potuerant negare, sed nescierant, qualis nexus esset: usque tamen viderant, quod unum operaretur in alterum tanquam activum in passivum, tanquam ignis in corpora sublunaria; tanquam aliud agens vel efficiens in aliquod, unde effectus prodit; tamen usque negaverant illos per aliquem mechani-

De spiritibus animalibus.

chaniſmum operari, ſed modo per regulas ignotas, & conſequenter a mechaniſmo vulgari & noto alienas; cumque loquerentur de operatione illa mutua unius in alterum, per plures diſtinctiones & a philoſophia ſcholaſtica petitos terminos voluerant hoc illuſtrare; ſed uſque tamen lectoribus æque ignotum dein remanſit, ac ipſiſmet auctoribus: concluſio fuerat, quod non materiale eſſet, ſed ſpirituale quod ageret, & quod ſpirituale potentia agendi gauderet.

Sed quid opus eſt, ut contrarii ſimus regulis naturæ ab Infinito inditis & datis; annon illis perfectiſſimum quid poſſit ineſſe? annon ideo imperfectum, quia audit mechanicum aut geometricum? annon regulæ illæ ſint ab Infinito? cur illas rejiciamus tanquam mere inidoneas, quum tamen placuerit Infinito per illas ſiſtere effectus per ſenſus perceptibiles? annon in illis poſſit eſſe aliquid tale, quale in regulis aliis, quas ignotas ſupponimus, quibus regeretur anima? Cur hoc ignotum relinquamus poſteritati, quæ hoc fortasſis non ut ignotum conſideratura ſit?

Quod in regulis mechanicis æque perfectiſſimum dari poſſit, quam in aliis regulis.

quare non illos præveniamus, & in hoc ſæculo eo uſque cum noſtra ſcientia eamus? Sumus veluti incolæ rudes & nulla ſcientia imbuti, qui dum neſcirent, quos terminos vel an terminos haberet tellus, hinc cum extra ſuam parœciam ſpectarent, viderant tellurem ſe amplius extendere, ſed usque putaverant, non procul abinde deſituram eſſe; quum tandem ulterius peregrinarentur, & viderent vel lacum vel oceanum, tunc exclamarant, hic eſt terminus terræ; ſed poſteri navigationis artem edocti per experientiam compererant, adhuc telluris finem non adeſſe, uſque dum tandem experti ſint, illam eſſe formæ vel ovalis vel ſphæricæ, & ſe poſſe ſic totum illum orbem terraqueum circumire: ſic poſteri eruditiores parentibus invenerant, quod ipſi pro ignoto poſuerant & reliquerant, & ſic ſimplicitatem avorum riſerant. In anatomicis ſimiliter putaverant antiquitus, ignoto modo membra corporis moveri, aurem ignoto modo audire, & ſonum conſiſtere in ipſis organis auditus, & viſum in organis externis viſus; recentiores

tiores altius penetraverant, & detexerant non modo ortum ejus ab undulatione aeris, ſed etiam inſtrumenta mechanice eſſe formata undulationem recipientia & illam interius deferentia; recentiores adhuc oculatiores facti ſunt per ſua microſcopia & detexerant partes prioribus ignotiſſimas; acutiores philoſophi compererant, auditum nullum eſſe nec viſum antequam perveniret ad interiora, & antequam ipſi ſenſus animam in conſortium vocaverint. Sic ſenſim & ſenſim adaucta eſt doctrina. Et quoniam orbis eruditus continuo laborat in detegendis naturalibus per experimenta, non deſperandum eſt, quin ulterius perveniant, & tandem uſque ad animam, ut de ejus operatione mechanica poſſint judicare. Quum itaque ſcientiæ altius & altius in naturam occultam ſe immergunt, & ſenſim detegunt ſimilitudinem ſubtilioris mundi cum craſſiori, credendum eſt, quod etiam eo uſque perveniant: quare non hodie illuc eamus? & illos præveniamus, ne illi nos ludibrio habeant, prout nos hodie veteres quoſdam philoſophos.

Quod ex ignoratione status animæ facile in negationem ejus prolabi possimus.

Non velim in recensionem sententiarum plurium de anima humana me immittere; quoniam quum omnes fere illam ut ignotissimum quid considerarint, tamen voluerunt nexum ejus cum corpore jam hoc jam alio modo remonstrare: quum enim de ignoto agitur, quod non volumus tanquam simile cum notis agnoscere, non potest aliud inde existere, quam ut inde formatæ sententiæ & conclusiones emanent, quæ tandem nihil demonstrant; hinc maxima pars in spiritus animales juraverat, & omnes motus per illos tandem explicuerat, tamen ita ut juberet anima, & illi jussa exequerentur, & jam irent ad has partes, jam vero ad illas, & functiones reginæ suæ ut famuli peragerent. Aliqui vero, & perplurimi, qui non voluerant scriptis aliquid de illa mandare, cogitaverant & tacite per se volverant, quod dubium sit de anima, num aliqua sit, vel non, quia viderant illam talem non esse posse, ut illa instar dominæ resideret, & spiritus ejus animales tanquam ministri circumstarent, & ocyus aura ad mandata fugerent, nec reginam nec impe-

imperium ejus ſic agnoſcere potuerant: hinc quum vellent ratiocinari, qualis ſit, & non potuiſſent ad cognitionem venire, illam ut dubiam reliquerant, & quia facilis & proximus tranſitus a dubio aut ignorantia eſt ad negationem, hinc illam tacite negarant, & omne, quod in corpore eſſet, tacite dixerant eſſe materiale, & ſic cum corpore moriturum: adeo ut inter demiphiloſophos perplurimi fuerint, qui ad minimum dubiam illam ſibi facerent, unde aſpirante minima ratiocinatione facile in ſententiam negativam prolapſi ſunt. Naturale enim eſt, quod plane ignoramus, ut illud vel tanquam ignotum agnoſcamus, vel ſi non evidentiſſima cauſa ſit quæ confirmet, ut dubii hæreamus, nec fide comprehendamus, diſſuadentibus aliquibus circumſtantiis. Quum etiam verterent ſe ad animalia reliqua, viderant, quod illa ſenſibus pariter gauderent, & qualitate videndi, audiendi, guſtandi, olfaciendi & pluribus aliis pollerent, quæ cum homine communia ſint: quum interiora rimarentur, viderant etiam eandem fere conſtru-

ctionem partium, eundem mechanismum organorum; etiam cerebrum & medullam oblongatam, membranas, substantias corticales & medullares, arterias & venas, adeo ut per sensus suos nihil fere dissimile animadverterent; & adhuc plus, quum viderent aliqua animalia acutiori sensu visus, auditus & olfactus gaudere quam homines; quumque aliquid simile ratiocinationi aut intellectui adhuc animadverterent, & insuper aliquos homines parum a brutis illis differre, illico non potuerant rationem suam refrænare, quin in illam partem declinarent, ut sentirent, quod vel animalia animam quandam possiderent, vel quod homines similes essent animalibus, sed tantummodo in aliqua re perfectiores, & quod sic mori possent prout illa & anima pariter dissipari & annihilari. Nec mirum est, quod in illam conclusionem aliqui prolapsi sint, quum ignorarent, quid sit anima.

Quod anima sit immortalis. At vero si cogitavissent, quod finale creationis mundi sit divinum seu sit propter Infinitum primario, & quod homo

homo ſit ultimus effectus, per quem finis ille potuiſſet obtineri, cui data ſit talis anima, ut illa ſimul cum corpore poſſet concludere, & ex revelatione, quamvis non ex ſe tanquam finito, credere, quod ſit Deus, & quod Deus ſit infinitus; & hac ratione quod in homine ſit divinum quid, & inde concludere voluiſſent, quod in eo ſit particeps cauſæ finalis; & quod anima, quatenus pars mundi & naturæ purioris, ſic perfectiſſimo per nexum propior ſit; ut ſic non modo amare poſſit infinitum, ſed etiam deſiderare ſtatum perfectiorem, conſequenter ſi poſt aliquas concluſiones altius voluiſſent ratiocinando ire, ſane non laberentur in illum errorem; ſed potius, quod per rationem ſe confirmarent, in ultimo hoc effectu, qui poſſit agnoſcere Deum, & per amorem ſentire, ſe eſſe in nexu cauſæ finalis, & in quo ſic ſit cauſa finalis Dei, quod eapropter non poſſit mori, ſed quod perpetuo cauſæ ejus finalis ſit particeps & in eo particeps Infiniti, quod perpetuus, ſane neutiquam ad credendum inducerentur, ut cauſa illa finalis Infiniti diſcederet ab

homine moriente; quod etiam foret arguere Infinitum alicujus finiti aut imperfectionis. Quod concludere licet etiam evidenter ex eo tanquam ab effectu, quod ipsum finale divinum, quod obtinetur unice per fidem indubiam in Deum, illum habeat nexum inter Infinitum & animam, ut qui indubie credit Deum esse, ille etiam indubie credat animam esse immortalem; at qui non credit Infinitum esse, is nec credat animam immortalem, sed finite de utroque sentit: Adeo ut fidei effectus sit in eo veluti signum nexus inter Infinitum & animam, ut nullus vere credere possit unum, nisi credat alterum, nec negare unum, nisi facile neget alterum; ex quo concludere licet, tam certam esse immortalitatem animæ, quam certa est existentia Dei; & finale divinum non posse quam hoc secum habere, quia vera fides hoc secum habet.

Ex ipso nexu entium & rerum naturalium in mundo analytice & rationaliter etiam deducere & concludere licet, animam seu subtilissimam nostri corporis partem immortalem esse. Cum enim anima sit in natura puriore & per-

& perfectiore, & corpus in imperfectiore, sequitur, nec illam mutationibus ita obnoxiam esse posse, prout partes corporeæ crassiores: pariter naturæ immutabiliori in eo etiam similem esse, ut tam agere, quam pati queat, & se cum entibus illius naturæ omnimode conformare, & mutationis similiter immunissimam se sistere. Per ipsos effectus in corpore exstantes idem cognoscitur. Nam ex nexu harmonico partium naturalium oritur unice amor seu sensus delitiosus amoris, qui purior est in natura puriori; amor inde derivatur per nexum in partes corporis crassiores sive in mundum ejus animalem imperfectiorem, qui respicit pariter eundem finem, ut scilicet corpus etiam vitam quandam perpetuam trahat; at quum hoc contra naturam mundi mutabilioris, cujus pars corpus est, sit, hinc ad perpetuitatem spirat per propagationem sobolis & repræsentationem sui in alio ex se oriundo, in quo veluti vivere incipiat, quum ipse desinit: hoc non mere a corpore venire potest, nisi causa & origo præexistat in anima; nec ab anima in corpus derivari

derivari, nisi per nexum & contiguum, & consequenter per summam voluptatem; quod etiam ex eo videre licet, quod ad illum finem obtinendum ipsa anima concurrat, e qua etiam particula trahatur, unde noscitur ab effectu, quid sit in causa; ab ultimo fine, quid sit in primo; ex corpore, quid sit in anima; quod scilicet in corpore per instinctum animæ desideretur similis status, qui est in anima. Quod in homine sit aliquid altius & sublimius ad eundem finem spirans, quam in reliquis animantibus, apparet ex eo, quod non modo delitiis gaudeat propagandi educendique liberos, sed etiam perenni desiderio per illos inter seram posteritatem vivendi, unde etiam amor raro exstinguitur, sed descendendo crescit in nepotes, aliter quam in brutis. Ex eodem etiam fonte & causa venit, quod aliqui, quibus recta mens est, ad memoriam, famam & gloriam sive ad perpetuam sui vitam per virtutes statum integriorem & perfectiorem spirantes & sapientes anhelent, sæpe ut illuc per ipsissimam mortem seu contemptum omnium reliquarum voluptatum,

ptatum, invito interdum corpore, ferantur, modo anima corpori ſuo amiciſſimo etiam dare & impertiri queat, quod ipſa poſſidet. Adhuc evidentius ex eo, quod illi, qui in vero nexu finalis divini ſunt, ſive in ſtatu veræ agnitionis & amoris Dei, nihil magis deſiderent, quam animæ ſuæ ſtatum immortalem, & nihil vilius pendant, quam ſtatum corporis mortalem, cujus exſtinctionem & finem nihil pavent, ſed ſæpe concupiſcunt; quod non aliunde venire poteſt, quam ex anima jamdum perpetuo vivente in nexu finalis divini, & timente caſus per corpus exſtituros, qui de tali nexu illam turbare fortaſſis potuerint. Sic poſſumus indubie per methodum analyticam ab effectibus ad cauſas argumentari; & per aliqua nota ad cognitionem ignoti noſtri venire. Nam nihil accidit in mundo craſſiori, cujus non principia lateant in ſubtiliori, & cauſæ cur ſic, non aliter accidere poſſit; nec aliquis finis datur in craſſiori, qui non reſpiciat finem in ſubtiliori mundo, qui tamen eſt tanquam medium ad ipſiſſimum finem in ente puriſſimo.

Ad

Ad immortalitatem animæ demonſtrandam induci etiam poteſt ab Infinito ad animam, prout ab anima ad corpus, ſeu a nexu Infiniti cum anima, prout a nexu animæ cum corpore: nam a nexu oritur, prout dictum eſt, immediate amor, ſeu delitioſum illud, quod per amorem, hoc eſt, per conjunctionem harmonicam partium & modorum in mundo ſentitur; in nexu conſiſtit omnino amor ſeu amicitia corporis & animæ, pariter animæ & Infiniti: ſignum & effectus amoris eſt, ut alterum conſideret tanquam ſe, ſeu aliud tanquam ſuum, ſeu videat inſtar ſui in alio; nam quaſi neſcius in alio ſentit, mediante nexu per contiguum, idem quod in ſe: & quia amor ſui eſt proximus & conſequenter fortisſimus, in illo, quem amat, optat & diſcupit idem, quod in ſe delitioſum & volupe ſentit, tanquam in alio ſe, & conſequenter ei tribuere & dare amat, quod ipſe ut eſſentiale bonum posſidet, ſeu diſcupit, ut in connexo ſecum ſit idem aut ſimilis ſtatus, qualis eſt in ſe, ſic anima vult ut in corpore ſit eadem puritas, perfectio & perpetuitas, quæ in

ſe

ſe eſt. Qui itaque jam in nexu finalis divini ſunt, qui nexus per delitias amoris erga Deum ſentitur, non poſſunt quin reciproce in amore Dei ſint, quatenus in nexu divino, & conſequenter, quin amor Dei erga animam in eo quaſi ſimilis ſit amori animæ in ſuum amiciſſimum, quia conjunctiſſimum corpus, ut infinite velit, quod inſtar ſui ſit, & quod ei tribuere & dare amet, quod ipſe poſſidet, hoc eſt, perpetuitatem & immortalitatem: Si Infinitum non reſpiceret finitum ſecum connexum ut ſuum, præcipue in ipſiſſimo hoc eſſentiali, ut anima ſui ſimilis in immortalitate ſit, tunc infinitum quid aut puriſſimum non foret in amore Dei erga hominem, ſed tale quid, quod Infinito repugnaret: nam ſi Deus in ſuo ſimili aut in ſecum connexo admitteret aliquid mutabile, foret omnino tale in ejus amore, quod ille non poſſidet, ſeu quod ei contrarium eſt, hoc eſt, ſui diſſimile; quod in naturalibus modo erga inconnexum aut inimicum dari poteſt. Talis amor ſe tantum ad partes purioris mundi extendere poteſt, hoc eſt, ad

animam,

animam, non vero ad partes impurioris & imperfectioris, seu ad corpus, quod in nexu divino unice potest esse per animam, & utrumque per nexum infinitum unigeniti. At vero si corpus ab anima puriore ita regi potuisset, ut illud ad omnes ejus nutus obsequiose flecteretur, sequitur, quod ipsum corpus potuisset quoque considerari tanquam pars mundi purioris, & eadem immortalitate & integritate, qua anima, frui: talem fuisse statum primi hominis ad omnem harmoniam mundi formati, in quo omnes partes crassiores potuissent ab anima regi & consequenter immortalitate simul gaudere, verosimile apparet: sed quum integritas & perfectio illa in connexione animæ & corporis, & consequenter in connexione Dei & animæ periisse & in posteris dein naturaliter degeneravisse videatur, sic nec amplius considerari corpus potuisse sequitur, tanquam pars purioris & perfectioris mundi, sed imperfectioris; ideo mutabilitas & mortalitas corporis successerat loco ejus immutabilitatis & immortalitatis; sed quæ restitui posse videatur,

deatur, si anima induatur corpore, quod illa non immediate a parente imperfectiori per viam hactenus naturalem tanquam hæres trahat.

Quomodo intelligendum sit, quod mundus subtilior sit perfectior, quam mundus crassior, patet ex similitudine omnium partium & modorum entia composita mundi subtilioris ingredientium; quo enim subtilior pars & simplici suo propior est, eo minus modificata existit; quoque minus modificata, eo similior & magis homogenea est una alteri; quoque similiores, eo perfectiores tam qua substantias, quam qua modos, & consequenter omnes partes sic homogeneæ eo purius spirant ad figuræ & motus sui subsistentiam & perpetuitatem; & ita entia mundi subtilioris, quorum una pars est anima, mutabilitati minus obnoxia sistuntur: quæ sic nec lædi possunt a sui similibus, nec ab heterogeneis aliquibus, quorum copia nulla datur; nec a crassioribus, quæ in hæc subtiliora immediate agere, & si fortassis agant, illa a nexu tam similium partium turbare nequeunt.

Sed fortaſſis aliqui hoc non capere volunt, ſed inſiſtunt & inhærent ſuæ imaginationi dubitanti, & optant, ut animam percipere poſſent, prout percipiunt res viſas & auditas, ut ſic ſenſu comprehendant veritatem, & nec ſic quidem, niſi ipſas manus in foramina clavorum immittant: ideo jam meus finis eſt, ut ſpecialiter demonſtrem, quantum dabile eſt, qualis ſit, & dein quod talis neutiquam mori poſſit, niſi annihiletur tota natura; quumque ille ſit finis, non video, an ullus, niſi obeſioris naris ſacrificulus, inſtitutum hoc improbare poſſit.

§ IV.

Videamus jam generaliter, in quo mechaniſmo conſiſtat nexus animæ & corporis, ſeu operatio unius in alterum. Si ſpecialiter omnia traderentur, opus foret non unius menſis, ſed plurium annorum, nec unius voluminis ſed plurium. nam ad confirmanda omnia in auxilium vocabitur omne id, quod per anatomiam in corpore detectum eſt, quod de intellectu, memoria, voluntate, deque affectibus per experi-

perientiam & ſpecialiter novimus; in auxilium etiam vocabitur tam mechaniſmus quam geometria tam harum partium quam reliquarum, per quarum nexum effectus prodeunt; quæ omnia plus temporis & loci requirunt, quam ut in prodromo hoc ſtatim deduci poſſint, ita ut ratio pro veris agnoſcere queat: hinc tantummodo velim hic generaliter ideam ſiſtere, ut inde ipſe generaliter judicare poſſis, antequam demonſtratum ſit, ad minimum, num ſit rationi conſentaneum vel non.

PRIMUM occurrit, quod generaliter hic poſſim tradere, quod omnis nexus ſupponat contiguum, & quod ſine contiguo nullus nexus concipi aut dari poſſit; ſi nexus ſit, erunt fines, ſi fines, erunt media; & niſi fines per media connexi ſint, nullus datur nexus: in mechanicis ſubſtantialibus hoc notiſſimum eſt, quod ſcilicet nullus nexus concipi poſſit ſine contiguo: in natura inviſibili, in qua apparet nexus cum viſibili, ſupponitur omnino contiguum, ut una pars tangat vel moveat alteram ab uno fine ad alterum: ma- *Quod inter finita nullus nexus ſit ſine contiguo naturali.*

terialiter connexum seu qua motum connexum, non potest aliter percipi, si velimus secundum rationem loqui, quam ut sint media ordine & successive connexa, per quæ se respiciant fines; par ratio est in rebus omnibus, quæ non ita materialiter considerari possunt, sed quæ tamen usque prodeunt ex materiali seu substantiali; si nexus aliquis talium detur, supponitur illico nexus illarum per contiguum, & hoc tandem si ulterius & ulterius eas, supponit nexum substantiarum vel cum substantiis. Sed linquamus hæc, maneamus tantum in eo, quod nexus supponat contiguum in substantialibus & modis, & quod sine contiguo nullus concipi finite nexus possit. Quousque per experientiam in notitiam rerum ire possumus, affirmatum habemus, pariter a ratione, inter animam & corpus in homine esse nexum, adeo ut unum operari possit in alterum, pariter quod actu unum operetur in alterum; quibus datis, nec negari potest, quin sit nexus animæ & corporis, & quin sint media talem nexum formantia aut causantia; quum enim nexus non dari possit

ſit ſine contiguo, nec in ſubſtantialibus nec in modis, & quum videamus operationes plures incipere in ipſis organis exſtantioribus corporis & in partibus mechaniſmo ſubjectis, in motu illarum, inque modis pluribus, dico eſſe conſequens, quod contiguum eſſe debeat, quod non detur abſolute quid diviſum aut ruptum inter animam, ſed quod contiguum ſit, at quale ſit, id ſpeciatim demonſtrandum venit.

SECUNDUM eſt, quod nexus ille inter corpus & animam habere debeat ſuos fines; in natura finita non poteſt aliquid concipi, quod non habeat ſuos fines, ſeu nullus nexus infinitus; & quia videmus nexum illum ſive contiguum inter animam & corpus ab una parte terminari in anima, ab altera terminari in corporis viſibilis partibus, ergo contiguum hoc ſuos fines habere neceſſum eſt, & pariter quod illi fines terminati ſint intra corpus; vel ſpecialius, ſi aliquis effectus intra hoc contiguum ab anima & corpore prodeat, qualiſcunque ſit, dico, quod neceſſum ſit ut habeat ſuos fines, ſive

Quod nexus inter animam & corpus habeat ſuos limites vel fines in homine incluſos.

utrinque a quo; & quatenus effectus in corpore existit vel existere potest, erunt omnino fines intra corpus seu inclusi corpori: si enim non foret primus & ultimus finis in corpore, & uterque sic quasi inclusus & spatio corporeo alligatus, tunc nullus effectus percipi posset fieri in corpore, & consequenter nulla foret operatio animæ in corpus, nec operatio corporis in animam, quia si ab anima ulterius prodiret, & quidem extra corpus, tunc statim corporis operatio per nexum & contiguum extra animam ad ulteriorem finem iret, & effectus ex utroque fine proveniens non posset fieri sensibilis in spatio corporeo: ideoque quodcunque sentimus in corpore tanquam effectum a cooperatione corporis & animæ, id referet se ad fines intra spatium illud comprehensos; quodcunque vero ultra pergit, quia contiguum naturæ totius est, hinc etiam motus ultra per contiguum se dissipare potest, sed hoc non sentitur in corpore, sed quod sentitur in corpore, supponit fines intra corpus; & quod fines sint in corpore seu inclusi spatio cum omni

suo

ſuo contiguo, ab una parte in ſenſibus externis, ab altera in anima, hoc unice facit quod vivat homo; connexio finium intra ſpatium ſenſibilium per motum, facit vivum illud, & in tantum vivum, quantum ex finibus ſpatio illi dici poſſit eſſe incluſum, ſeu intra ſpatium illud terminatum; ſi multa pars finis poteſt dici incluſa illi ſpatio, eſt etiam multum vitæ, ſi parum, erit etiam parum vitæ, ſuppoſitis tamen mediis integris nec aliquo modo ruptis; quoque longior ſeries contigui, eo vita diſtinctior; majus & minus etiam quid contribuit; ſed de his amplius in demonſtratione ſpeciali. Ergo ponamus jam, fines in homine conſiſtere ab una parte in ſenſibus externis ſive in illorum organis, ab altera in anima, tunc duo ſunt fines; & quodcunque ſic venit ad animam, tanquam ad ultimum finem corpori incluſum ſive alligatum, ſubſiſtere debet; & quodcunque ibi ſubſiſtit, hoc poteſt homo percipere intra ſpatium ſuum vivum: adeo ut ſic in anima ſit centrum omnium perceptionum, utque omnia ſic ad ani-

mam primo se referant rationalia tanquam ad centrum.

Quod nihil perceptibile inter animam & corpus detur sine praevia aliqua mutatione.

TERTIUM est, si sensibile aut perceptibile aliquid fiet ab uno fine ad alterum sive inter hos fines, quod hoc fieri nequeat nisi per aliquam mutationem: si nulla mutatio existeret in hoc contiguo animali, nihil poterit sensibile esse aut percipi: si nulla foret mutatio, sequeretur, quod foret quiescentia partium, & consequenter nihil sensibile aut distinctum a quiete, quia nihil agens. Pone contiguum quoddam, pone fines, & in contiguo illo, vel inter fines pone nude nexum in substantiis sine mutatione, an inde rationaliter possis percipere, aliquid existere? Sed fortassis clarius illustratur per sensibilia crassiora; non datur gustus, nisi adsit aliquid quod mutationem faciat, ut per gustum sentire possis, si nihil adesset, foret nullus gustus: nisi in olfactu aliquid foret, quod organa moveret vel mutationem induceret, sane nullus foret odoratus: si in aure nihil foret, quod moveret, seu nullus motus undulans, nullus foret auditus,

tus, sic etiam in visu: si auditus & visus seu organa non forent, a quibus mutatio illa per contiguum prodire posset ulterius & versus animam, non foret ullum sensuale: ergo omne, quod sentitur ab uno fine ad alterum, habebit causam in aliqua mutatione.

Ex his jam sequitur, si mutatio accidat in partibus finitis quatenus extensis aut naturalibus, quod nulla mutatio accidere possit sine motu: partes finitæ sint vel crassiores vel subtiliores, modo sint naturales, non possunt mutari sine moveri; hoc unum supponit alterum; ut quum agitur de extensis aut finitis, quod nulla mutatio detur nisi per motum, sive sit motus totius sive partium, modo aliqua mutatio sit; ergo in contiguo animali, quatenus est finitum & extensum, hoc est, naturale, eatenus est motus omnis mutationis causa. Concipe iterum sensus externos, quomodo audire potes sine motu in aere & ejusdem communicatione cum tympano auris, & consequenter cum organis per gradus subtilioribus; quomodo olfacere, nisi

Quod nulla mutatio possit accidere sine motu in naturalibus.

aliquid ſit, quod moveat organa olfactoria, ſi moveat, erit motus; in ſapore pariter, in viſu pariter, non enim poteſt eſſe formale niſi aliquid ſit, quod faciat formale, ſive motus in partibus, ſive motus extra partes; nondum volumus ad interiora pervenire, ſed tamen per nexum indubie argumentari poſſumus; ſi in uno fine corporis animalis, hoc eſt, in ſenſibus externis omnia exiſtant per motum, & nexus ſit inter corpus & animam, & alter finis ſit in anima, ſi hoc, quod per motum ſentitur in uno fine, ſentiatur in altero, non poteſt per contiguum hoc venire ad alterum finem, quam per media in primo fine exiſtentia, ſcilicet per motum. Si ſtatuere velis, in primo fine exiſtere ſenſationem per motum, ſed non inde ſequi, exiſtere per motum in altero fine, hoc contra rationem eſt. Nam ſi motus incipit in uno fine contigui, non poteſt dici, quod diſſipetur, antequam veniat ad alterum, tunc foret vel quies in anima vel nulla mutatio; quum tamen non negare poſſis, quin etiam ſit aliquid agens, movens & efficiens in anima: hoc neu-

tiquam

tiquam ſine mutatione poteſt exiſtere; quum mutatio in uno fine conſiſtat in motu. Quare negandum eſt & dicendum, quod mutatio in altero fine conſiſtat in alio modo, quam in motu. Si dicis, eſſe alium modum, qui non motus vocari posſit, eſſe ſtatum, adeo ut modo vocari posſit mutatio ſtatus, non vero motus, dic mihi, qualis ſit ſtatus, adeo ut mutatio ſtatus posſit vocari & non motus; ſi ſtatus ſit infinitus, tunc nihil habeo, quod regeram, ſed lubentisſime dicam, quod non ſit motus, ſed nec uſque mutatio ſtatus; ſi ſtatus ſit finitus, non poteſt quin in ſtatu illo ſit quale, quia eſt in finito, an mutatio in finito aut extenſo poſſit aliqua eſſe ſine motu; at vero mutationes in modis a finito illo prodeuntes etiam propter ſimilitudinem dici poſſunt motus, quatenus proveniunt a ſuis ſubſtantiis ſeu ſuis ſubjectis, ſic prædicatur motus a ſubſtantiali. Ne tamen diutius his inhæream, ſi in ſpecialium expoſitione demonſtrare poſſim, quod motus ſit cauſa ſenſationum per organa ſenſoria externa, ſi motus per contiguum eat verſus ſub-

tiliſſima

tilissima usque ad animam, & quod sic mechanice & geometrice demonstrari possit omnis perceptio, intellectus & memoria & similia, tunc fortassis non tam festinanter negabis, motum per contiguum ferri versus animam, & in anima esse motum sed distinctissimum, subtilissimum, at usque similem ei in crassioribus.

Quod debeant esse substantiæ in homine recipientes motum.

QUARTO; si itaque nexus consistat in contiguo, & corpus in animam operetur per motum, sequitur etiam inde, quod esse debeant substantiæ ad motum recipiendum aptæ, hoc est ab ipso corpore ad animam; si contiguum sit, sique operatio fiat contigue per motum, utique non dari potest operatio contigua usque ad animam, nisi sint media, per quæ dari possit; si motus, & motus contigue perducatur ad animam, erunt substantiæ, quæ recipere possint talem motum & illum versus animam deferre; si finis sit, erunt media; si modus sit, erit substantia, ex qua aut per quam existat, modus sine substantia nullus est, motus sine substantia nullus est; nisi sit aliquod, quod mo-

movetur, nullus eſt motus; niſi ſupponat ſubjectum eſt nonens: ergo ſi ſit motus, mutatio aut modus a corporis externis partibus ad animam, erit ſubjectum, per quod motus, mutatio aut modus poſſit exiſtere, unde ſequitur, quod eſſe debeant ſubſtantiæ aptæ recipiendi motum & deferendi verſus alterum finem. Movens enim eſt mechanicum quid, quod neceſſe ſupponit etiam geometricum in motum actum, ſupponit etiam geometricum in ipſo motu,qua viam motus; ſupponit quoque geometricum ſeu aliquid movendum,antequam vis audire & ſentiri poſſit: hoc eſt,omne movens ſupponit modum immediate a ſubſtantiali veniente, & immediate in ſubſtantiale agentem; qui ratione temporis, eſt in conatu tanquam præteritum, in actu tanquam præſens, in operatione in aliud tanquam futurum, ſed illo momento quum agit, ſunt omnia præſentia; & ſic eſt ipſe motus ſeu mechanicum idem cum ſubſtantiali & geometrico.

QUINTO, hoc idem per argumentationis nexum dici poteſt de elementis mundi, quod ſcilicet ſit nexus inter elemen-

Quod elementa plura dentur, quæ nexum inter se habeant ope contigui.

elementa, quod ſit contiguum, & per ipſum contiguum nexus, adeo ut omnia, quæcunque vel quotcunque ſint, ſe reſpiciant, & ab uno fine ad alterum, ut a ſubtiliori ad craſſius & vice verſa ſint connexa: per argumentationis nexum dico; quia videmus & percipimus ab uno mundi angulo ad alterum eſſe nexum, a ſole & ſtellis uſque ad oculum; videmus a quacunque particula terreſtri eſſe nexum, ergo contiguum, adeo ut ipſe oculus poſſit ad multam diſtantiam viſum ſuum conjungere quaſi cum ipſa particula viſa: videmus hoc idem in aure, adeo ut ſit nexus a loquentis ore ad aurem; hæc omnia nec poſſent videri, nec poſſent audiri, niſi foret partium nexus per contiguum. Maneamus modo in craſſiori elemento, ſcilicet in aere; ibi videmus partium nexum tam contiguum, ut nec quicquam interruptum ſit, quod auditum fallat; comperimus aerem ſimillime poſſe comprimi & dilatari, adeo ut incluſus æqualiſſime & per conſtantiſſimas regulas naturales circumquaque operetur; hoc ſupponit cujusvis partis contactum, & conſequenter

quenter nexum per contactum contiguum: in mundo ſubtiliori non ſcio, an ullus per rationem experientiis inſtructam negare poſſit, quin dentur elementa; nullus negat ætherem, quia videt tot phænomena per oculum, & organis mutationem factam per elementa: hinc quamvis viſus non videre poſſit partes, quæ viſum faciunt; nec quidem partes in aere, quæ auditum faciunt; nec quæ movent organa olfactus, nec guſtus; ſunt omnia intra ſphæram ſenſuum; non ideo poſſumus vel debemus negare, quin dentur, quia ſentimus effectus: & quia in natura ſubtiliori videmus tam admiranda phænomena, quæ nec aeri nec ætheri tribui poſſunt, annon hoc arguit, dari adhuc ſubtiliora elementa, adeo ut contra rationem non ſit, quamvis ipſi ſenſus externi hoc nequeant dictare, quin dentur elementa ſubtiliora, pariter quin a primo minimo ad craſſiſſimum in elementari, hoc eſt, ad ipſum aereum ſit nexus, adeo ut unum moveat & moveatur ab altero, unum uſque a primo ſimplici ſucceſſive ortum traxerit ab altero; unum conſequenter ſubſi-

ſtat

ſtat per alterum. Sed hoc non velim ſine demonſtratione hic ut indubium aſſumere; tantummodo hoc, quod mihi concedere omnino debes, eſſe nexum in mundo elementari a minimo vel ſubtiliſſimo ad craſſiſſimum, & eſſe nexum per contiguum; nec concipi poſſe naturam ſine nexu; adeo ut ſi quis experientiæ rationem, & ſenſibus animam rite applicet, non video, an poſſit negare nexum in fluidiſſima natura, hoc eſt, in elementari, quum ſine nexu nihil naturale poſſit concipi; & quod omnes cauſæ & omnia principia rerum & modorum in craſſiori mundo lateant in ſubtiliori: ſed quales ſint partes elementares, videas in Principiis meis de mundo elementari; inde tantum illa velim transferre, ſi elementum ſit, quod omnino debeat eſſe fluidum, ita ut aptiſſime fluere poſſit; nec aptiſſime fluere poteſt, niſi unaquæque particula fluida ſit, adeo ut unaquæque particula contribuat ad motum totius, communem vel voluminis; ſi non unaquæque particula ad hoc contribueret, fieret partium cohærentia, nec exiſteret fluiditas ulla elemen-

elementaris: ſique unaquæque particula contribuit ad motum voluminis, ponatur, volumen motum non moveri poſſe niſi mechaniſmo & geometriæ partium convenienter; ſique volumen motum magnum ſit ſimile volumini moto exiguo, erit tandem per inductionem volumen motum ſimile ſuæ particulæ, adeo ut ſic ex ipſis effectibus ſeu a motu voluminis judicari poſſit, qualis non modo geometria ſit in partibus, ſed etiam qualis mechaniſmus in mundo elementari, præcipue quum ſibi ſemper tam ſimilis ſit motus voluminis ſeu effectus partium. Sique fluiditas partium aut voluminis ſit elementaris, ut particulatim & volumatim moveri poſſint, ſequitur omnino, quod etiam elaſticitas ſit partium, quod ex eo quoque inducere licet, quod ſit elaſticitas voluminis, quæ non exiſtere poteſt, niſi ſit talis in partibus; hæc videmus apertiſſime in aere; quumque comperimus elementum quoque dari ſubtilius, prout æthereum, & hoc fluidiſſimum, & innumeris paraſangis, momentis & gradibus aerem celeritate & fluiditate ſuperans, non

P ſcio,

ſcio, an alia cauſa & ratio dari poſſit ejus fluiditatis, quam quod unaquæque particula ſeparatim contribuat ad motum communem; quin ita ſit formata, ut poſſit contribuere; ut ſit elaſtica, & mechaniſmo & geometriæ aptiſſima ad motum communem, & quod adhuc magis elaſtica ſit quam elementum aereum, quia elaſticitas in aere non poteſt venire a ſe, ſed a cauſa, quæ debet ſic venire a cauſa in elementis ſubtilioribus ei proximis, non aliter ac aer, qui in motum tremulum non per ſe ferri poteſt, niſi adjuvetur ab æthere, nam ipſe ſonus penetrat vitrum recipientis, per quod aer neutiquam tranſire poſſit; ſic venit motus & elaſticitas in motu ab elementis ſubtilioribus. Nec ſcio, quare non induci poſſit, quin etiam dentur plura ordine ſubtiliora elementa, in quibus adhuc major fluiditas ſit, & in quibus adhuc aptior mechaniſmus ad fluiditatem, & adhuc elaſticitas perfectior; & ſic uſque ad minimum & univerſaliſſimum & in his omnibus perfectiſſimum: quumque videmus in mundo elementari tot admiranda phænomena, tam quæ exiſtunt in aere,

quam

quam quæ exiſtunt in æthere; quare non eamus ultra? quare non audeamus pergere per rationem ad ſubtiliora, & per ſimilitudinem inducere, dari poſſe? ſique videamus experientiam confirmare rationem, & cauſas ſic poſſe explicari, ipſa ratio tunc concludit, altius eundum eſſe, quam nude ubi ſenſus incipiunt & deſinunt; ad minimum pro certo dicere, quod ſit nexus, quod ſit contiguum; quumque Infinitum creaverat ſuum minimum, voluiſſe videtur, naturaliter loquendo, ut illud cauſa eſſet proxime ſequentis, prout ſemper videmus in finitis, unum eſſe cauſam alterius; nec creaviſſe alterum compoſitum immediate prout primum, ſed voluiſſe ut primum eſſet medium ad producendum alterum, & ſic alterum ut componeret tertium, & ordine tam ſucceſſive quam ſimul; ſi ipſe ortus fuerit per nexum, prout ipſæ cauſæ, ſubſiſtent omnia per eaſdem cauſas, per quas ortæ ſunt; verbo rationale eſt, ſtatuere nexum elementorum & quidem contiguum elementare, quia unum elementum non ſubſiſtere poteſt ſine nexu cum altero, non poteſt eſſe finis ſine mediis, ſi ultimus

esset finis, respiciet ille finis primum per nexum & contiguum; si non respiceret, periret ille finis, & consequenter mundus crassior se vel perderet, non se prorsus a subtiliori separare posset, quin annihilaretur: hoc quia summe rationale est, non video, an posito nexu, quin ponenda sint elementa subtiliora prout dantur crassiora, & nexus crassiorum cum subtilioribus per contiguum; sed de his copiose actum est in Principiis, ubi quatuor elementa statui, scilicet crassissimum vel aereum, dein æthereum, tum adhuc subtilius quod vocare volui elementum magneticum, tum subtilissimum sive universalissimum totius mundi, quæ omnia se respicerent, tam qua ortum, quam qua subsistentiam.

Quum itaque secundum omnem rationem sequatur, dari tales particulas minores & minores, quæ particulatim possint moveri, & consequenter elementariter fluere, exinde sequitur demonstrative, quod elementi crassioris particulæ non possint, quin lentius moveantur, subtilioris elementi particulæ velocius, subtilioris adhuc velocius, & quod differant in gradibus & momentis

mentis velocitatis ſecundum molem; hoc tam demonſtrativum, quam ſenſuale eſt, nam videmus aquam lentius moveri quam aer, aerem lentius quam æther, ſic ætherem lentius quam elementum ſe ſubtilius, & conſequenter; quo enim partes minores ſunt, & primo ſuo ſimplici propiores, eo etiam minoris molis, eo minoris diſſimilitudinis, eo minoris impedimenti, eo perfectioris figuræ, hoc eſt, eo magis perfectæ tam qua geometriam, quam qua mechaniſmum ſunt; eo in motum citiores, quia minus impeditæ a mole, a diſſimilitudine & aliis perplurimis modis, quæ remoram & inæqualitatem quandam cauſari poſſint; verbo, quo ſunt ſimplici ſuo propiores, eo puriores & magis accedunt ad perfectiſſimum in omni mechaniſmo & geometria. Ex his etiam conſequitur, quo celerius & perfectius poſſunt moveri, eo etiam diſtinctius moveri, adeo ut in motu non modo parum diſſimilare ſit, ſed etiam ut diſtinctiſſime modificentur in reſpectu ad modificationes & motus in craſſioribus; ut pariter mille & mille momenta diſtinctiſ-

 ſime

ſime poſſint facere, quum elementi craſſioris volumen faciat modo unum & vix tam diſtinctum; præcipue etiam ſi elaſticitas in minoribus ſit melior, purior & perfectior, adeo ut in illis ſit quaſi primitivum & primum elaſticitatis.

Si ergo ſit contiguum omnium elementorum, ſequitur inde, quod nullum elementum moveri poſſit, cujus motus non aliquo modo ſentiatur in elemento altero; ſi contiguum ſit, nihil poteſt in una parte contigui exiſtere, quod non in aliquo modo ſenſibile fiat in altera; quod in uno fit, ſe refert illico per contiguum ad alterum finem: ſi movetur aer, non fieri poteſt, quin hoc ſentiat æther, & conſequenter elementa ſubtiliora, uſque ad ultimum & primum, adeo ut ſit nexus motuum prout eſt nexus partium, ſeu nexus modorum prout eſt nexus ſubſtantiarum: ſi itaque aer ſit craſſiſſimum elementum, & reliqua ordine ſubtiliora, & motus inceptus in craſſiori, tunc eſt conſequens demonſtrativum, quod motus minimus in aere

fiat

fiat ſenſibilior in æthere, & adhuc ſenſibilior in elementis ſubtilioribus; nam minimus motus in aere non poteſt, quin fiat ſimilis in æthere, ſed quia partes ſunt in æthere ſubtiliores, eo etiam parvulum ejus volumen poteſt moveri ab una particula aeris, & conſequenter majus volumen, reſpective ad partes, in particulis elementorum adhuc ſubtiliorum: ſi motus ſit lentus in particula aeris, erit conſequenter diſtinctior in æthere, & adhuc diſtinctior in elementis primitivis & exiguisſimarum partium: adeo ut ſic, quum motus incipiat in medio crasſiori & tendat in medium ſubtilius, quod ſenſibilior fiat idem motus in ſubtilioribus, & conſequenter diſtinctior: tremulatio in aere, poteſt cauſari undulationem in æthere, & undulatio in æthere poteſt cauſari adhuc majorem undulationem in elemento ſubtiliori, vel quandam ſpeciem motus localis: hoc poteris, ſi velis, ocu lariter experiri per majores & minores globulos, quos ſi ſimul velis elaſticos facere, comperies veritatem ad ſenſus, & colliges inde ſimile in partibus mi-

nimis, quæ ſunt vel eſſe poſſunt infra tuos ſenſus: ſed his fortasſis aliquantum juſto diutius immoratus ſum.

Quod elementa operentur in ſubſtantias animalis, & quod ſimile detur in elementis & in animalibus.

SEXTO, veniamus jam propius ad mechaniſmum corporis & animæ; comperimus elementa eſſe, quæ operentur in organa, ut aerem in organa auditus, ætherem in organa viſus; & quia operari nequeant, niſi per modum aut motum, nulla operatio, ut ſupra dictum eſt, exiſtere poteſt ſine mutatione, & nulla mutatio in finitis ſine motu vel totius vel partium, ergo ſunt elementa, quæ operantur in organa auditus & viſus, & quidem per motum, quem motum in aere novimus eſſe undulatorium vel tremulatorium, auxiliante æthere, quem nullus hodie negat; nam videt ex nervis aut membranis motis ſonum exiſtere, videt in aere tympana extenſa & aptata ad recipiendum motum, videt organa ſubtiliora, quæ motum illum verſus interiora & ſubtiliora deducant, uſque dum ſenſatio exiſtat: ſic concludi poteſt fieri in æthere, cujus modificatio conſiſtit in motu, quatenus movet organa

gana visus, ut sentiant. Nam motus undulatorius vel tremulatorius in elementis, sive in illorum partibus aut partium partibus, ex quarum situ & motu formale dependet, est inquam motus communissimus, & illorum maxime naturalis, quia particulatim moveri possunt: & quia in undulationibus elementi dari potest omne id, per quod explicari possit varietas tam infinita phænomenorum; explicari non modo, sed etiam per geometriam & experientiam demonstrari, scilicet, quod elementum admittere possit simul & successive innumeras tremulationes, quod in uno eodemque volumine possit tremulatio minor & major, celerior & lentior existere, quod minor intra & cum majori, quod nihil impediat, quin nova semper in idem volumen tremulum tremulatio venire possit & inibi simul inexistere, & sic mille modis variari in uno contiguo, hoc sensualiter comperimus in aere, hoc visualiter in aqua, hoc demonstrative per mechanismum partium: adeo ut si tales motus tremuli existerent in minimis elementis, ubi omnes modu-

lationes adhuc ſunt diſtinctiores, ſenſibiliores & perfectiores, ſequitur, quod adhuc diſtinctius plures tremores admitti posſint. Sed hæc omnia ſpecialiter deducenda veniunt.

SEPTIMO, quum itaque elementa conſtent partibus, quæ in mundo ſumme ſunt mobiles, adeo ut elementa hoc reſpectu ſint tanquam fons omnis motus; & quum in illis ſit qualitas, ut mobiles in unoquoque loco eſſe posſint, tam ſi inibi ſint preſſæ, quam ſi dilatatæ, ut quieſcere posſint & moveri; ut pati posſint & agere, adeo ut ſic in illis conſiſtat quaſi vita univerſi: exinde jam velim concludere, quod omnis motus in homine ab uno fine ad alterum, a ſenſibus externis ad ipſam animam, per totum hoc contiguum humanum, ſit in eo ſimile elementis, & quaſi univerſi microcoſmus, quod ita quoque in illo per contiguum omnia agantur, quod motus a craſſiori tendat ad ſubtilius, a ſenſibus ad animam; quod motus ad ſubtiliora & ſubtiliora progrediens in ſubtilisſimis tandem tanquam in centro deſinat; quod in pro-

progreſſione verſus ſubtiliora fiat ſenſibilior & ſenſibilior, fiat diſtinctior & diſtinctior, prout de elementis dictum eſt; fiat aptior & aptior recipiendi omnes varietates, & quo ſubtilior finis alter eſt, eo ſenſibilior & diſtinctior effectus motuum, dum tandem nihil ſit in varietate, quod non diſtingui, & nihil, quod non per varietatem diſtingui poſſit, & plura alia, in quibus vita humana ſimilitudinem trahere videtur ab elementis: unde niſi præmiſſa ſit theoria elementorum, fruſtra laboramus venire in cognitionem operationum in vita humana.

OCTAVO, ſed quoniam viventia, quorum ultimus & perfectiſſimus eſt homo, non conſtant elementis, ſed ſunt corporea; hinc jam venit conſideranda ſtructura corporis illorum. Quum videmus in elementis dari poſſe tot varietates mirabiles, qua motum tam ſimul quam ſucceſſive; & illas multipliciores, ſenſibiliores & diſtinctiores poſſe fieri in ſubtilioribus; & in illo corpus animale elementis eſſe ſimile; jam quia eſt corporeum & non

Quod ſint membranulæ in homine, quæ recipere poſſint motus omnes elementorum.

non pure elementare, hinc videamus, an dari possit in corporeo, quod simile referat, aut tale recipere possit: eamus primum ad crassiora & exstantiora, in quibus mechanismum corporeum videmus & agnoscimus; ipse motus aeris potest recipi intra corpus per membranas; hoc videmus in tota constructione auris, videmus ipsum ostium claudi membrana, adeo ut aer undulans illam necessario debeat stringere, & facere ut similiter undulet; si penitius in aurem nos conferamus, videmus iterum membranas expansas, sed subtiliores & subtiliores; videmus machinas, quæ concentrent undulationem receptam, ut in subtiliora concentratior deferri possit; ut sonus inde proveniens articulatior possit reddi, & sic ulterius & ulterius versus interiora. In oculo videmus machinam, in qua omnes partes eo conspirant, ut radii ab omni spatio, quod simul comprehendi possit, seu modulationes ætheris versus retinam distincte se possint recipere, ut inde per ipsum nervum opticum dissipentur, & tandem se diffundant & immergant substantiæ medul-

medullæ oblongatæ, & tum cerebro. Hæc omnia ſunt viſibilia & tangibilia; reſtat modo, ut jam ratio accedat, & antequam concludit, ratiocinetur, annon hæc omnia corporee ſint formata & inſtructa, ut undulatio vel modulatio in elemento incepta corporee vel per partes corporeas deferatur verſus interiora; ratio debet omnino concludere, quod non poſſit aliter eſſe, quam ut per organa corporea recipiantur tales motus, & verſus interiora & quidem in cerebrum deferantur: & quia comperimus, dari intus ſenſationem quandam, cujus particeps fiat homo, dari imaginativum, quod ita agens ſit, ut ſentiat hoc homo, ut ipſum ejus corpus ita ſentiat, ut inde ſæpe partes craſſiores, ſanguis, humores alii cum illorum particulis ſalinis vel ſulphureis vel aliis excitentur; ex effectu concludit, quod non poſſit eſſe quieſcens quid, ſed agens, & quod debeat eſſe motus.

Sed maneamus in tela noſtra, & perpendamus, an in corpore dari poſſit mechanice tale, quod motus ſubtiliores

res & subtiliores recipere queat: in crassioribus videmus dari tympana & membranas, quæ se aptissime possint conformare ad motum elementi. Fiat jam per inductionem quæstio, an dari possint membranæ subtiliores & subtiliores, ut etiam subtiliores se conformare possint ad motus similes in elementis subtilioribus? ex analysi rationis concluditur omnino dari posse; adeo ut, quum dentur membranæ, quæ recipere possint motum undulatorium aeris, quidni etiam subtiliores, quæ recipere possint adhuc undulationes subtiliores, dabile sit. Videamus etiam, annon ita sit, quia dabile est; si adeamus in hunc finem anatomiam corporis humani, & omnes ejus partes nudis pariter armatis oculis lustremus, & videbimus, quod plurima pars non modo in cerebro, sed etiam alibi constet membranis; in cerebro, quod membranæ sint crassiores & subtiliores, quod hæ subtiliores pariter evadant subtiliores, dum tandem ita subtiles, ut plane effugiant sensum maxime acutum & armatum; localiter videmus differentiam membranarum in ratione subti-

ſubtilitatis: generaliter videmus, nihil in corpore humano fere dari, quod non ſe ſubtilius & ſubtilius reddat, quod non ſe ramificet, & quod non ita ſe diminuat, ut tandem ſenſus fugiat, hoc videre licet in venis & arteriis, hoc in nervis, hoc in innumeris aliis, hoc etiam in membranis; exinde omnino concludere licet, quod non modo dabile ſit, ſed quod ipſa anatomia confirmet, ita fieri, & membranas pariter ſe in ſubtiliores & ſubtiliores expandere: imo etiam ipſa anatomia demonſtrat, quod nihil in corpore humano detur, quod non obductum ſit membrana vel membranis diverſi generis; ipſe homo cum omnibus ſuis membris duplici aut triplici membrana includitur, ipſum cranium pariter, ipſum cerebrum membranis craſſioribus & ſubtilioribus, ſic & cerebellum & plurimæ ejus partes; omnia ſimiliter in inferiori corpore, pariter etiam in illius partibus, ipſa etiam vaſa minima; oſſa, ubicunque ſunt, ſuis membranis ſunt induta; nervi ubicunque ſunt, membranis ſuis ſunt incluſi; ipſa pinguedo particulatim incluſa eſt infinitis

locu-

loculis membranaceis; adeo ut in corpore qua totum & partes & illarum partes oculo anatomico videamus omnia membranis includi, & pariter ipsas membranas se ramificare, & subtiliores & subtiliores fieri, dum tandem oculo non amplius detegi possint; sed quod videri nequeant, ergo non esse, nulla valet secundum rationem consequentia; sed ratio valet, quia videmus eo usque membranaceum esse, quantum oculo permissum est intrare, ubi desinit oculus, incipiet ratio, & concludet omnino dari adhuc similia subtiliora, quia effectus similes videmus in subtilibus.

Nono, quum itaque eo usque rationis ope perventum sit, quod dabile non modo, sed etiam quod plausibile sit, dari adhuc membranas subtiliores, eundum est ad qualitatem illarum: si itaque formatæ sint ad receptionem motuum subtiliorum & subtiliorum ad imitationem motuum in elementis; exinde ut necessarium sequitur, quod omnino tensæ esse debeant; sine tensione ipse motus non recipi potest;

nit

nisi in illis tale contiguum sit, ut, quum una pars mota sit, altera etiam moveatur, nullus sequitur tonus; nisi tympanum sit tensum, aer frustra laborat, illud in imitationem sui motus rapere; nisi nervus sit tensus, nihil in se tremulum, quod fiat sensibile, admittit; hinc tensio requiritur; si itaque hoc necessarium sit, sequitur, quod causa tensionis adesse debeat. Eamus etiam hic primum ad experientiam per sensus externos, quumque deficit experientia sensuum, tunc primum consulamus rationem: Videmus membranas crassiores tendi per corpora illis inclusa, vel per ossa, vel per nervos, adeo ut tegumenta sint tensa, prout illæ partes, quæ inclusæ sunt, illa tendant. Sed veniamus ad ipsas membranas, videmus illas tendi a liquidis; quod a sanguine & aliis liquidis diversi generis, hoc ad oculum exstat: per oculum & experientiam novimus, quod sanguis per suam copiam possit non modo tendere sua tegumenta, sed quia reliqua subtiliora eis adhærent & connexa sunt, quod per tensionem ex sanguine vel copioso vel tumescente, etiam membranæ adhæ-

rentes minores propter contiguum & nexum tendantur; si tendis membranam quandam recentem inter digitos, non illam potes tendere, nisi simul in tensionem sequantur partes ejus subtiliores; si tensio fiat per tumescentiam ope sanguinis vel alius liquoris, perinde est, modo videatur, quod illa possit esse causa tensionis non modo partium crassiorum sed simul subtiliorum. De his loquitur ipsa experientia, adeo ut non multa ratione adhuc opus sit; nam a sanguine tumescente videmus membranas in corpore tendi ; videmus propter tensionem non modo alterationem in sensibus, sed etiam in ipsa imaginationis facultate, in ipsis musculis, quod videre licet ab ira, a vino sive in ebrietate, in febribus &c. adeo ut positio experimentaliter sit clara, quia effectus videmus usque ad animam.

Sed quamvis per experientiam & sensus externos nondum amplius penetrare possimus, non inde sequitur, quin ratio possit ulterius ire, & ope geometriæ & mechanismi tam certo statue-

ſtatuere & concludere ac ipſi ſenſus externi, præcipue ſi ab effectu ſimul ratiocinetur: quum itaque membranæ craſſiores tendantur a liquidis craſſioribus, a ſanguine, aque alio humore; & quum dentur etiam membranæ ſubtiliores, quæ pariter ſuam tenſionem peculiarem habere debeant, ut ſcilicet ſi tendantur a communi expanſione, quod etiam partes illarum ita ſint diſpoſitæ, ut æqualiſſime tendantur, conſequenter quod aliquod liquidum aut fluidum ſit, quod faciat, ut æqualiſſime tendi poſſint, & in ſua tenſione ita remanere, ut motus receptos æqualiter per ſe diffundere queant: ex viſibili & a majori ad inviſibile & minus concludere indubie licet, quod etiam ſit fluidum illas ſpecialiter tendens; & quia ſubtiliſſimæ dantur membranæ, quod ideoque ſubtiliſſimum debeat eſſe fluidum, adeo ut ſimile in ſimile poſſit operari; exinde non repugnat experientiæ ſenſuum externorum, nec repugnat mechaniſmo, nec repugnat effectibus, ſed conſentaneum eſt ideo rationi, quod etiam ſubtiliſſimæ membranæ tendantur a fluido ſubtiliſſimo.

Et quia ab effectibus tam innumera similia & convenientia videmus cum motu elementorum, exinde etiam venit ratio, quod fluidum quoddam elementare sit subtilissimas membranas tendens; & eo subtilius elementare, quo subtiliores sunt membranæ, adeo ut subtilitas in elementis suum simile habeat in membranis corporis animalis, ut elementa secundum imitationem sui operari possint in corpus humanum, ut per nexum quendam & contiguum membranaceum a crassiori ad subtilius conspiret etiam contiguum elementare cum contiguo corporeo, ut sic similes effectus edere possit in corpore quos in elementis, cum illa tantum differentia, quod heic in spatio sit inclusum & a fine ad finem tendat & fluat; in elementis vero, quod non sit finis in spatio incluso, nam spatium illorum est totum universum: & consequenter, quod membranæ sint, quæ faciunt, ut includi possint intra spatium & terminos; seu ut ipse motus elementari similis sit non tantummodo in elementis, sed etiam in membranis, quæ suos terminos habent.

DECI-

DECIMO, utque membranæ, per quas unice operatur anima in corpus, & per quas omnes motus corporis perficiuntur, & in quarum motu unicum vitale, animale, & ſenſuale conſiſtit, adeo ut fere nullus anatomicus ſit, qui non tam aperte loquatur, ut dicat omnes membranas ſentire. Nam quando tangitur membrana, illico excitatur ſenſus, adeo ut ipſæ ſint media ſenſationum, quamvis non in loco tactus ſentiantur, antequam ipſæ membranæ in cerebro per contiguum ejus ope fluidi elementaris fiant participes. Utque membranæ, inquam, eo melius ad nutum, motum ſeu tremorem elementorum flectantur, ſive in imitationem motuum elementarium abripiantur, ideo mechanice & geometrice ita formatæ eſſe debent, ut in ſe recipere quaſi posſint omne id mobile, quod in elementis exiſtit; in quibus ſic veluti figitur vel repræſentatur elementi motus: hoc ut obtineatur, in membranis mediis requiritur non modo debita & apta forma & figura, ſed etiam magnitudo, pariter craſſities, & plura, quæ geometria ſuppetere posſit; ſed

Quod membranæ aptisſime & geometrice formatæ ſint ad receptionem motuum in elementis.

in specialia descendere, non hujus loci est: nam nisi tympanum auris esset plane qua crassitiem & figuram & situm applicatum ad motum tremulum aeris, non ita distincte omnia motus ejus momenta & gradus recipere posset; & adhuc minus, nisi membranæ interiores circa labyrinthum & cochleam, nequaquam omnia tam distincte & concentrate versus subtiliora penetrare possent.

Accedit, nisi in mediis membranis esset ligatio talis, ut per ligationem existat figura membranarum debita & in sua expansa aptissima divisio; ut & nisi ita sint formatæ, ut ipsum fluidum elementare per omnes perque ipsos nexus liberrime posset transfluere, membranæ nec æqualissime tensæ tenerentur, nec se ad quemcunque motum conformare possent; adeo ut exactissima harmonia membranarum cum suis elementis esse debeat, quorum ope per totum corpus simillimus motus dissipari possit, & consequenter semper & ubivis similes membranæ in eundem aut in similem motum auferri: ipsum elemen-

elementum eſt unicum, quod motus transferre poteſt, ipſæ membranæ per ſe non poſſunt eſſe niſi mere pasſivæ, ſed ita formatæ, ut motum partium elementarium in ſe recipere queant, & a quacunque cauſa motæ in imitationem agi, & pariter in volumen elementi incluſi reciproce agere; unde elementi ope per totum corpus ſimilis modulatio momento disſipatur; adeo ut ſic motus tremuli vel undulatorii in elementis incluſis ſint ipſisſimi ſpiritus animales, qui dicuntur animæ volenti obſequium præſtare, & qui in actum producant omne id, quod a corpore & anima ſimul concupiſcitur; ſed de his melius in theoria ſpeciali, hic tantummodo confuſe & generaliter ideam operationis ſiſtere poſſum.

Undecimo, quum ab experientia edocti ſimus, ipſum tremorem aut motum undulatorium in fluidis ſuas regulas motus exactisſime obſervare, adeo ut elementum ſic motum non aliter queat, quam ſecundum principia ſua moveri, & quidem ſecundum figuram & mechaniſmum partium;

hinc etiam, quum elementum in membranis ſuos motus tremulos & undulatorios figunt, in illis ipſiſſimas ſuas regulas exactisſime retinent, & quidem perfectisſime harmonicas, ut ne latum unguem ſine iſtis regulis illæ ſe movere queant; videmus in nervis, pariter in membranis extenſis, quales ſint regulæ, quod ſint ſecundum proportionem, quam vocant harmonicam, quæ ſemper ſe habet, prout ſe habent diſtantiæ a centro; ſit exempli gratia membrana ſic convoluta aut formata in helicem vel in aliam figuram, ut in illa centrum posſit concipi; illa ad certam aut datam diſtantiam a centro non poteſt quin ad illum tremorem, ad illa momenta aut gradus in tremore, ad illam celeritatem moveri, qualis eſt diſtantiæ ſeu ejus termini; ad aliam ſive majorem ſive minorem diſtantiam a centro, nec poteſt quin illum & illius loci proprium tremorem accipiat, nec in illo loco alium poteſt admittere; utque inter binas vel tres diſtantias harmonicum quid exiſtat, erit ut diſtantia unius a centro ad diſtantiam alterius a centro, ſic

Regulæ motus in elementis & ſimiles in organis humanis.

ſic ipſæ diſtantiæ inter ſe mutuo; adeo ut ipſæ diſtantiæ faciant harmoniam: hoc idem in nervis, in quibus quidem idem fundamentum harmoniæ eſt, ſed nervus non magis, quam ad unum tonum ſe flectere poteſt, quum membranæ ad omnes; ſi plures eſſent nervi, repræſentare quaſi poſſent ſimul unam membranam, quorum harmoniæ erunt prout diſtantiæ memoratæ, ſi æqualiſſime forent tenſæ & ejusdem craſſitiei: adeo ut ſic omnis tremulatio in membranis conſiſtat in ratione diſtantiarum a centris, & ſi illæ ſint prout diſtantiæ mutuæ, tunc tremor exiſteret maxime harmonicus; ſed hæc dicta ſunt de membranis ita geometrice formatis, ut centrum habeant: alias ipſæ rationes harmonicæ inter aſymptotas in hyperbolis optime repræſentantur. Ipſi tremores in membranis ſupramemoratis utplurimum etiam fingunt ſibi geometriam vel quærunt ſibi harmoniam per cultum & exercitium; ſed quæ harmonia tamen ſemper in eo conſiſtit, ut diſtantiæ a centro ſint ut diſtantiæ mutuæ inter ſe. Ex tota continua harmonia pot-

est unus tremor harmonicus existere, qui mixtus aut compositus potest vocari: potest talis mixtus in subtiliori membrana adhuc melius concentrari in unum tremorem; possunt ex mixtis pluribus, adhuc plures mixti & compositi oriri, & hoc altius & altius, quo membranæ in corpore sunt subtiliores & subtiliores, & sunt aptiores distinctissime recipiendi omnes. Possunt ex mixtis illis sensim & harmonice & quasi separatim evocari illi, ex quibus compositi sunt, & sic iterum se partiri, si mens eis inhæreat: possunt duo toni sibi tertium acquirere, sed non alium, quam qui harmonice in ratione distantiarum se aptare possit: possunt a simili tremore existere similes tremores in vicinis, in subtilioribus, in crassioribus simul & successive; nam similis tremor quasi sponte, sed fit mediante elemento, similem caussatur in membrana altera, & consequenter similes alios per usum & cultum impressos evocare; non aliter ac nervus unus in tremorem actus, in eundem secum tonum agit nervum similis toni, sive sit crassior sive subtilior;

lior; ſi in mixtis ſint plures toni, poteſt inde particulatim ſimilis tonus alibi evocari, ſive ſimplex ſit ſive minus mixtus: ſique omnes membranulæ per uſum & cultum ita harmonice aptatæ ſint, tunc inde exiſtit effectus diſtinctiſſimus & genuinus; & hæc omnia modo dentur ſubtiliores & ſubtiliores membranæ, & ſitus & figura illarum apta diſtincte omnia recipiendi, dein producendi ſive repræſentandi. Sed hæc omnia in ſpeciali theoria amplo deducenda ſunt, & geometrice demonſtranda; hic volui tantummodo ideam generalem ſiſtere, cujus ope fortaſſis alii me penetrantiores altius poſſunt indagare elementorum operationes in membranas, & membranarum in elementa. Verbo: nihil dari poteſt in elementis, quod motum tremulum partium vel ſuperficierum partium concernit, quod non etiam ſimiliter dari poſſit in membranis, modo illæ ita aptatæ ſint, ut ab illis elementis ad imitationem moveri poſſint, unde etiam innumeræ & fere ineffabiles varietates exiſtere poſſunt, ſi dentur membranæ craſſiores & ſubtiliores, magis

minus-

minusque & cum differentia tensæ, crassæ, figuratæ &c. quot in ipsis elementis; adeo ut ipse mundus elementaris se quasi per membranas fecerit sensibilem in mundo hoc exiguo sive microcosmo animali.

Hæc etiam ratio est, quod perplurimi, non enim primus sum, sed fuerant ante me eruditi multi, quibuscum me comparare non velim, qui cum viderint convenientiam motuum in elementis cum motibus in membranis, etiam statuerant, motum tremulum esse causam sensationum, sed quum ulterius ire non allaboravissent, ad spiritus animales ignotæ operationis tanquam ad commune asylum confugerant, ut alicubi indagationis suæ finem & modum ponerent.

Sit jam homo microcosmus intra suos terminos similis macrocosmo intra suos; & in mundo illo exiguo sit nexus membranaceus & simul elementaris contiguus usque ad animam; sitque anima pars mundi purioris, sive unus hominis finis in mundo subtiliori,

ri, alter in craſſiori; ſequitur, 1) quod in microcoſmo hoc animali & vivo omnis motus aut modus veniat vel a mundo ſubtiliori, & per contiguum tendat ad mundum craſſiorem, hoc eſt, ab anima ad corpus; vel viciſſim a corpore ad animam. 2) Si origo cujusdam motus ſit in anima, tunc in mundum ſuum craſſiorem per contigui nexum pergit, & quidem harmonice; ſique vere harmonice, tunc uſque ad alterum finem libere & momento tranſire poteſt; fitque hoc ſic in altero fine & pariter in mediis ſenſibile: ſed tamen, dum tendit a ſubtilioribus in craſſiora, fit modus aut motus per gradus craſſior, impurior, imperfectior, indiſtinctior & rudior: ſique origo motus non adæquata ſit ſubſtantiis mundi ſui craſſioris, ſenſim & per gradus quaſi evaneſcere poteſt & perire, antequam ad finem ultimum pervenerit: ſique in mundo illo craſſiori & imperfectiori aut in mediis ſit aliquid adhuc imperfectius, magis diſcors, disſonum, aut diſſimilare, ſive ſi contiguum ſit minus harmonicum, tunc in progreſſione confundi, diſſipari, perire

&

& emori debet, antequam modus ad alterum suum finem perrexerit. 3) Ponatur vero, originem motus aut modi in crassiori mundo primum existere, si contiguum sit harmonicum, pergit ille momento usque ad animam, & cum voluptate fit in mediis sensibilis, quia cum voluptate fit in anima; fitque purior, perfectior & distinctior in mediis, quia purum, perfectum & distinctum est in anima; hoc est, fit eo purius, quo altius in mundum puriorem penetrat. At vero si nexus hic contigui vel harmonia naturalis sit imperfectior, sit dissimilior, ad animam nec distincte, nec pure, nec harmonice & delitiose pervenire potest; nam aliquid in via dissonum & discors intervenit, ubi vel dissipatur modus, vel confuse, vel cum dolore ad animam venit. 4) Per modos continuo discordes, illorumque crebrum usum & exercitium, existere quidam habitus potest, dum tandem anima discordiam motuum plus amare posse videatur, quam harmoniam, & in dissonis & discordibus delitiosum suum quærere; sicque ad corporis modos formari, & mundo suo

crassio-

crassiori & impuriori similior reddi incipit; in quo casu, harmonica ei dissona evadunt. Talis anima soluta a corpore in harmonia naturali nihil nisi dissonum & perpetuo contrarium & dolorificum sentire potest, præcipue si quid e mundo puriori & perfectiori adveniat; ut sic in nullo nexu, sed in perpetua discordia sit cum mundo perfectiori; ut duntaxat impurissimi mundi dissonos & sibi similes modos cum aliqua voluptate persentiscere queat.

DUODECIMO: Quæ hactenus dicta sunt, sunt modo de organis seu membranis dicta, super quas vel per quas sensationes per tremores deferuntur versus animam, adeo ut anima distinctissime possit omnia percipere, & dein omnem tremorem tam mixtum quam simplicem quasi in se habere concentratum, qua subtilius nihil in corpore datur; nisi anima consisteret in subtilissimis, ad quam ita deferri debeant motus & tremores per vias membranaceas medias, neutiquam particeps fieri posset motus in crassioribus organis

Quod anima sit centrum talium motuum.

ganis primum incepti; adeo ut dictæ membranæ, ſuper quas tremores posſint quaſi elementariter fluere, ſint modo organa inter ſenſus externos corporis & animæ; ſine mediis illis foret anima deſtituta ſua vi & facultate operandi, deſtituta ſentiendi illa, quæ in craſſioribus peraguntur; deſtituta facultate unacum corpore operandi, deſtituta in motum ciendi ſimilia & hoc diſtinctius & diſtinctius; verbo foret anima ſine corpore, & corpus ſine anima ſenſibili in corpore: ſi ipſæ mediæ membranæ amitterent vel ſuum nexum, vel tonum vel tenſionem, illico quid diſſimile contra uſum & cultum repræſentaretur animæ; quumque operari incipit, per turbam diſſimilium operari debet, adeo ut nihil rationale prodire poſſit; unde omne rationale non eſt ſolius animæ, ſed etiam reliquarum partium in nexu & contiguo a ſenſibus uſque ad animam.

In anima omnino eſt centrum omnium dictorum tremorum, eſt activiſſimum quid & ſumme geometricum & mechanicum, ubi omnes motus aut tremo-

tremores tam distincte, quam mixtim se possint sistere & sentiri; unde omnis tremor subtilissimus in similium turbam se possit diffundere vel inter illam motum excitare; & dein per analysin & harmoniam similium & dissimilium in aliquo tertio aut quarto sive in illo, quod quæritur, harmonice & consequenter delitiose acquiescere.

ULTIMO: Sed fortassis hic aliquantum subsistere cupis & quærere, qualis sit cogitatio mea de anima, ubi sit & resideat in corpore? qualis illa sit tam qua mechanismum, quam qua figuram? qualis sit ejus immediata vel proxima operatio in membranas auxiliatrices? & plura alia, quæ de ignotissima & tamen præcipua hominis parte cognitu digna sunt: velim etiam de illis, sed generalissime, mentem aliquantisper aperire. Quod ipsum ejus locum in corpore attinet, ex prædictis & ratione sequitur, quod non sit in aliqua glandula, quod non sit in aliqua meninge, quod non sit ubivis in corpore; sed quod ibi sit, ubi se attenuant magis & magis membranæ, sive ubi in subtilissimas

Sedes animæ in corpore.

ſimas abeunt. Si examinemus cerebrum humanum, videmus nullam fere partem eſſe, quæ non induatur & amiciatur membrana non ſimplici ſed multiplici, videmus partes communes ibi laxe inveſtiri dura meninge, partes adhuc plures pia meninge ſe in plicas, anfractus & rugas cerebri alte inſinuante, quæ duæ meninges ſequuntur ex capite medullam dorſi ſeu ſpinæ, & obtegunt nervos, ubicunque excurrunt & ſe ramificant: ſed tamen uſque non videre licet nec in nervis nec in fibris ramificationes illarum eſſe in membranas minimas, ſed utplurimum exſtare pro ipſis oculis, ut videri poſſint, quamvis etiam ibi ſint tam ſubtiles, ut viſum fugere incipiant. At vero in cerebro, ubi omnes partes ſuis tunicis obducuntur, & ubi tunicæ & membranæ viſibiles & plures inviſibiles ſe præcipue ramificare poſſunt & ramificant, inde concludere licet, ibi eſſe præcipue ſedem animæ rationalis, non vero extra cerebrum. In cerebro videmus meningem piam ſeu ſubtilion viſibilem innumeris vaſis ſanguineis conſperſam ſe magis & magis ramifica-

mificare, & ſubtilisſimos non modo tendines, ſed etiam contiguum quoddam ſubtilisſimum membranaceum annectere & pariter immergere ipſi cerebro,& abire tenuiorem & ſubtiliorem in ipſam ejus ſubſtantiam, primum in ſubſtantiam corticalem, demum in medullarem, unde ibi videmus veſtigia ramificationis membranarum exſtantisſima, & quia ſimiles ſubſtantiæ fere omnem partem cerebri occupant, pariter etiam cerebelli & totam medullam oblongatam, hinc concludere velim, ipſam animam præcipue reſidere in ſubſtantia cerebri corticali & ad partem etiam in medullari, ubi nexus talium ſubtilisſimarum membranarum a particula ad particulam eſſe queat, & pariter ſupra, circum & intra quamlibet particulam illius ſubſtantiæ: ſubſtantia corticalis vel cineritia, prout vocatur, immediate & arcte ſubſtrata eſt meningibus, & quidem in cerebro ad craſſitiem circiter 2 linearum in ſerpentinos flexus quaſi repens, & ſæpe ipſum cerebrum penetrans; in cerebello vero adhuc copioſior adeſt per formam vegetantium arbuſculorum

 pulchre

pulchre repræsentata, cujus trunci seu pedunculi, prout vocantur, ex tribus processibus medullaribus constant: ipsa glandula pinealis ejusdem etiam est substantiæ, cujus processus & basis sæpe sunt medullares. Medulla oblongata utrique cerebro substrata & sic utriusque cerebri particeps intus aliquantisper est substantiæ cineritiæ, alias medullaris; ipsa principia medullæ oblongatæ sunt etiam extus ejusdem substantiæ, intus pulchre striata: Nec dico medullarem substantiam animæ esse immunem, præsertim quum aliquibus in locis, ut in medulla oblongata nervorum principali & origine, illa appareat fibrosa & tubulosa mixtaque arteriolis minimis substantiæ corticalis. Sed de his omnibus in specialibus fusius. Hic tantummodo per nexum argumentari velim, esse illam in omnibus illis locis, ubi membranæ cerebri se in minores & minores pandunt, & ubi fixiorem a suis membranis genetricibus sedem occupant.

Posito, quod jam per omnem illam substantiam sit diffusa, sequitur, quod

anima non ſit in uno loco ſed ubique quaſi præſens in cerebri partibus, & quod nullibi ſit ſibi diſſimilis, adeo ut, ubicunque adeſt, ſibi ſit ſimillima, ut non aliter poſſit operari in una parte quam in altera; nam ſenſim & ſenſim aptatur ad motum, & ſi ita dicere liceat, formatur ſecundum motum membranarum mediarum, quæ quia circum cerebrum ubique & contigue fluunt, non alia ſic poteſt ſiſti in medulla quam in cerebro, nec in cerebro alia quam in cerebello, propter contiguum & nexum tam membranarum, quam motuum per membranas.

Ubicunque adeſt, quod ſimilis ſit.

Quærere fortaſſis libet, an putandum ſit, illam eſſe ſimilem in omni cerebro aut homine? dico non eſſe ſimilem, ſed cum differentia formatam in uno cerebro & in altero, ſed differentiam exponere non hujus eſt loci; nam ex ſupradictis ſequitur, illam non modo excoli, ſed etiam aptari per uſum & exercitium a membranis intermediis, & conſequenter aptiorem vel ineptiorem reddi recipiendi motus illuc per membranas medias alluentes; in qui-

busdam minorem dari ejus nexum cum membranis præmemoratis, in quibusdam intimiorem & arctiorem; in quibusdam assuetam & aptam esse distincte evocandi similes motus ex usu & cultu impressos, in quibusdam nisi paucum numerum similium & plurimum dissimilium; in quibusdam magis, in aliis vero minus rationalem; in quibusdam cum corpore & ejus voluptate unanimiter conspirare, in aliis vero juxta animam esse aliquid renitens & plus rationale spirans & concupiscens: verbo, utplurimum concordantiam & similitudinem quandam dari ejus & corporis: sed tamen non semper; quod innotescit sæpe ex feris nepotibus, qui avis & atavis suis animo similiores sint, quam ipsismet suis parentibus, a quibus animam immediate traxerant; sive ab atavis mediante parente; hæc etiam est causa, quod amor avorum in nepotes major esse soleat quam in suos filios.

Adhuc, num putandum sit, illam unice constare membrana, & sic esse simillimam membranis intermediis? Sed

ex

ex ſupra memoratis ſequitur, non poſſe ſimilem rationem ejus eſſe & membranarum intermediarum; eſt enim ultima & ſubtiliſſima pars corporis; eſt in qua tanquam in ultimo fine terminantur omnes motus intermedii; eſt quæ diſtinctiſſime omnia poſſit recipere, & ex tremoribus mixtis & plus adhuc compoſitis formare ſimplex & diſtinctum quid; eſt in qua centrum ſit, ad quod omnes tremores ſubtiliſſimi ſe poſſint referre; eſt in qua nullum elementare ſit, ſed activiſſimum quid; niſi activisſimum quid, nihil tam momentaneum, diſtinctum, vitale in rationali eſſe poſſet: Si activisſimum illud in anima velis concipere, non diſſimile activis noſtris in Principp. Claſſ. I § V & VII; tunc activa ſeparatim a ſua membrana conſiderata non concipi poſſunt locum aut ſitum determinatum occupare; nec contiguum aut expanſum formare, & conſequenter contigui & expanſi eſſe expertia; nec in illis aliquid ſurſum aut deorſum conſiderari, nec aliquid reſiſtens, ſed pure agens, non aliquid elementare, nec paſſivum, ſed uſque tamen pure mechanicum,

Quomodo actuale anima conſiderandum eſt.

nicum, vide Principia; quæ omnia exactisſime conveniunt cum deſcriptione animæ ſecundum illorum mentem, qui illam non materialem ſed ſpiritualem dicere amant.

Hoc fortasſis eſt illud purum actuale & ſimplex, quod ſpiritibus & animis tribuitur, quod veluti dari posſit ſine conceptione extenſi aut notionum pure mechanicarum: ſed dictum eſt, quod nequeat dari actuale finitum ſine modo, non tantum quomodo actuale ſit & fieri posſit, ſed etiam quale ſit, & cujus modi aut modificationis ſit, tam per ſe, quam cum operatur in res agnitas materiales: nihil enim finitum in materias finitas operari poteſt ſine modis, nihil ſine mutatione ab actuali veniente, nec ulla mutatio in pasſivis niſi a motu locali activi; ſed tamen hoc pure mechanicum eſt. At vero, quod Infiniti operationem in corporea concernit, præcipue immediatam ejus in primitivum, & dein primitivi ſuccesſive & mechanice in ſubſtantias derivatas, illud non comparandum eſt cum actualitate dicta, nam unum finitum eſt, alterum infinitum, nec tanquam

per

per ſimile licet explicare unum per alterum; & Deum ſpiritibus qua actualitatem aſſimilare; hoc credo vetitum eſt philoſophis præcipue chriſtianis, qui in Deo nihil niſi infinitum admittere debent, in ſpiritibus aliis nihil niſi finitum; inter quæ ſic nulla ratio dari poteſt: tanta eſt differentia Infiniti & finiti, ut in illo reſpectu differentia cœli & terræ nulla ſit: actuale in Infinito ſine modo niſi infinite intellecto conſiderandum eſt, at in ſpiritibus cum modo, nam in ſpiritibus finitis nihil actuari poteſt ſine modo; & modus in finitis nullus eſt, niſi ſe referat immediate ad ſubſtantias, ex quibus prodit.

Sed quia activa illius naturæ non poſſunt agere, aut aliquam in vicina ſeu obvia vim motricem aut effectum edere, niſi ſint incluſa ſuis ſuperficiebus aut membranis vi motrici activorum pure obſequuturis; hinc anima non poteſt dici conſiſtere nude in activis illius naturæ & indolis, nam in illis conſiſtit ſolummodo ejus activitas & vita, requiritur etiam, ut partes vicinæ in animam poſſint agere, & quaſi ad actionem diſponere, erit conſequen- *Quod activa finiri nequeant ſine paſſivis aut ſuperficie.*

ter aliquid passivum; nec activorum vis in vicina potest concipi sine spatio, cui dicta activa perpetuo operantia inclusa sint; & quia spatium ab illis includi non potest sine subtilissima membrana; ex quibus concluditur, quod activitas illa cum sua superficie simul constituat animam, sine qua nulla operatio in corpus dabilis est. Quod ut obtineatur, non potest membranacea superficies concipi sine centro, cujus ope & consequenter inde oriundarum distantiarum a suo centro omne, quod distinctissimum est, unice existere potest.

De anima brutorum. In brutis vero sive in aliis viventibus animam esse ad similitudinem animæ humanæ formatam; sed esse multo crassiorem, esse elementarem, non constantem activis, quæ constituant actualitatem rationis, sed loco illorum esse elementare quid, quod in speciali expositione argumentis perplurimis adhuc fortassis non ita notis confirmare velim.

Ad cognitionem animæ veniri posse non desperandum est, præcipue si illa non amplius consideretur tanquam igno-

ignotiſſima, quæ ſcilicet per regulas ignotiſſimas operetur; ſi itaque jam ſit in anima pure ſed perfectiſſime geometricum, ſi ſit pure & perfectiſſime mechanicum, ſic tandem ſpes eſt in cognitionem ejus nos poſſe venire; ſed nunquam, ſi principia ignotiſſima & unice ignorantiam ſpirantia aſſumantur: venire ſic poſſumus in ejus cognitionem, ſi ponatur ejus actualitas conſiſtere in motu & vi ſumme mechanica; ſuperficies in figura ſumme geometrica; verbo, ſi ponatur, quicquid perfectiſſime mechanicum & geometricum in rerum natura dari poſſit, ſique mens dubitative, quamdiu in inquiſitione eſt, formet ſibi tale expanſum geometricum, & omnia dein examinet, quæ uſquam experientia posſit examini ſubjicere, ſcilicet anatomiam corporis humani qua omnes partes & partium partes & organa, quæ tam in cerebro, quam alibi in corpore exiſtunt; omnes ſenſuum externorum partes; tum omnes modos & facultates, quæ uſquam ſciri & diſtingui posſint, in imaginatione, memoria, perceptione & voluntate; ut & omnium varietates

Quomodo ad cognitionem mechaniſmi in anima perveniendum eſt.

&

& differentias ex diversissimis affectibus & causis aliis oriundas, & plura alia, quæ specialissime perscrutanda & conferenda sunt, sic tandem de perfectissimi illius entis vera geometria & mechanismo aliquid certi concludi potest. Quousque in inquisitione pervenerim, si Deus vitam & otium concesserit, specialiter sistere animus est; hic generaliter nihil ut affirmativum & positivum sistendum esse arbitratus sum; nam ipsa experientia & geometria sunt unice quæ affirmabunt & ponent, quæ si affirmaverint & posuerint, tunc demum fit, concludente anima, rationale: cujus operis præcipuus finis est, ut ipsis sensibus demonstretur animæ immortalitas.

Conclusio. Quid est vita? quam inchoatio, formatio & præparatio animæ in statum semper vivum post mortem corporis sui: & quid est formatio & præparatio? nisi ut anima quatenus per se subtilior, etiam purior & perfectior, & potens recipiendi finale divinum, & consequenter dissimilior corpori suo naturali, continuo allaboret corpus ad sui simile formare & flectere;

ctere; non vero patiatur, ut corpus ſe ejus plane ſimilem reddat & formet. Quod num fiat vel non, haud tam maniſeſte concludere licet a ratione vel intellectu, quam ab ipſo actu immediato voluntatis: ratio enim ſive intellectus, quamvis participat tam de corpore quam de anima, utplurimum tamen ad partes animæ inclinat & ſe movet; at vero voluntas & effectus demonſtrat, ad cujus nutum ſe flecti patiatur homo: Nam anima potentiam habet ſentiendi omne id, quod in corpore per motum exiſtit; & ex potentia illa per uſum & exercitium acquirere ſibi poteſt habitum conſpirandi in omnes corporis ſe modificantis actus; quæ ſic per ſe quaſi eſt centrum & ultimo movens omnium, ſed per habitum fit primum vel ſimul movens illorum in ſuo corpore, cum quo unita eſt. Quoniam itaque formatur anima & præparatur in corpore mortali ad ſtatum immortalem, ſumus in hoc reſpectu homines in mundo feliciſſimi, & pariter infeliciſſimi; qui vero infelices ſunt, ſunt infeliciores animantibus brutis, quorum anima cum corpore exſtinguitur & vita annihilatur.

tur. Ipsi Christiani possunt adhuc feliciores reddi, & pariter infeliciores, nam per notitiam melius præparari ad fidem possunt, & ad fidem distinctiorem & pleniorem; at qui inter illos infelices sunt, infeliciores sunt gentilibus, quibus nulla talis notitia concessa est. Inter Christianos sunt legis divinæ periti, antistites & doctores adhuc feliciores, sed pariter infeliciores, nam qui inter illos infelices sunt, infeliciores sunt illis ex rudissima plebe christiana, qui minus periti & per notitiam minus illustrati sunt: inter peritos legis divinæ sunt illi adhuc feliciores, qui revelationi rite adjungere sciunt rationem, quique ab utraque in notitiam rerum ad fidem ducentium venire possunt, hoc est, philosophi christiani; qui si infelices sunt, adhuc infeliciores sunt illis, qui rude ex revelatione periti facti sunt: nam quo plus notitiæ possidet homo, eo plura sunt, quæ illum felicem possunt reddere, & eo plura quæ infelicem: consequenter philosophus christianus inter mortales felicissimus esse potest, & pariter infelicissimus.

FINIS.

